



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



D 139.



E. Coll. Bal. Oxon.

TAYLOR INSTITUTION.

—
BEQUEATHED

TO THE UNIVERSITY


. A.

. 13

$\frac{0}{2}$

J. Paul.

Alm. e. Libr.
S. Heinster




Donum Avunculi


Libris


Joannis Buscha

Apr: 9th. 1727









PHÆDRI, AUG.
LIBERTI
FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBRI V.

Notis Doctorum Selectioribus, No-
visque passim & Conjecturis &
Explicationibus Illustrati

Operâ

THO. JOHNSON, A.M.

In usum

Scholæ Etonensis.

L O N D I N I

Apud *Car. Harper* in vico *Fleetstreet* dicto,
Sam. Smith, Benj. Walford, & Tho. Newborough, in
Cœmeterio *D. Pauli, & Joan. Slatter Etonæ.* MDCCI.



Benevolo Lectori.

NON sanè diffiteri possum, Amice Lector, quæ ad illustrandum Phædrum diu destinata in animo habueram, eorum multa à Domino Davide ab Hoogstraten in nuperâ editione fuisse præoccupata; atque adeò novitatis gratiam apud nonnullos huic nostro operi defuturam non dubito: cum tamen non idem utrisq; nostrum sit propositum in omnibus, & ille tantum aliena colligere, & contracta dare; nos multa de nostro (non tamen ingrata, spero) in lucem proferre receperimus, a proposito desistendum non duxi. Quam itaque viam institerim, paucis accipe. Multi in Phædrum multa scripserant, docta, indocta, ambitiosa, & a re aliena, ut sæpe fit; quorum collectionem integram edidit Burmannus: Hanc excutere visum est mihi, ut minori Phædrus prodiret mole, non tamen suis nudatus ornamentis: adeoque omnes doctorum inter se rixas & altercationes, lepidissimas Fabri facetias, & graves Schioppii iras prorsus abjeci; audaciores Criticorum conjecturas & emen-

dationes nullo innixas fundamento, nullâ ratione stabilitas prætermisi, ut nec reverentiâ nec misericordiâ dignas: odiosas hominum timidorum ex aliis Auctõribus Phædrî defensiones, locosq; ubi opus non erat, parallelas abire jussi: deniq; id unicè studebam, ut nihil in hâc editione compareret, quod non vel Phædrî mentem magis perspicuam, vel contextum magis expeditum certumve redderet: quod ut fieret summa cum diligentia omnes omnium notas perlegi, & quotiescunq; doctõrum inter se variarunt sententiæ, nec litem componere in proclivi erat, utrasq; proponendas judicavi. Quod si forte sagacioribus aliquid minutum nimis & leve appareat, spero tamen inventuros, quod & eorum palato sapiat: atqui sic agendum erat; nisi enim ad minora descendissem, puerorum imperitiæ necessarium defuisset fulcimentum.

Unum hoc restat, Amice Lector, quod te monitum velim, id, quod in hâc editione præstitum non sit, quod quidem ad Auctorem illustrandum faciat, te frustra alibi quæsiturum; recisis enim inutilibus ornamentis, & inani verborum pompa neglecta, res ipsas tantum collegi; atq; adeo saniores doctõrum vel conjecturas vel explicationes hâc omnes collectas invenies.

Vale.

Petri Burmanni

P R Æ F A T I O.

L E C T O R I S.

EN tandem fidem nostram, quam nuper publice dedi, brevi fore, ut postumæ, & cum tineis & blattis jam certantes, *Viri Illustrissimi Marquardi Gudij in Phædrum Notæ & Animadversiones* exirent, solutam. Non exiguam me à veris bonarum artium æstimatoribus gratiam iniisse fatis certo scio, qui ab oblivione vindicaverim Doctissimi Viri lucubrationes, quas toties à vivo etiamnum *Gudio* expostulationibus creberrimis, imo conviciis, fere totius orbis Eruditi Viri flagitaverunt. Sed postremis ejus vitæ temporibus, quibus rerum civilium administrationi admotus fuit, non recolere & celebrare tam frequenter Musas, quas in juventute summo ardore & studio amplexus fuerat, ei licebat; unde ea, quæ juvenis in schedas congefferat, in liturariis fere jacuere, & ad mortem usque, quæ matura nimis ei contigit, per supellectilem librariam sparsæ fuere. Statuerat, si modo vel minimum ipsi otium à re publica concederetur, has in *Phædrum* notas recensere, & in lucem publicam mittendo omnium desideriiis

satisfacere ; sed infelix fatum consilium ejus irritum fecit. Et fortasse in æternum hic labor periisset, nisi Vir Clarissimus *Grævius*, nostrum Decus & Præsidium, olim *Gudij* summus amicus, non omnem lapidem movisset, ut hic Thesaurus ex custodia depromeretur. Cum autem Vir ille maximus, tot negotiis, quæ ad rem literariam promovendam quotidie subit, impeditus, vix harum curationi vacare possit, ego, qui eo tempore otio abundabam, sponte operam meam obtuli ; non male illam positurum me existimans, si ab interitu vindicarem tam egregiæ doctrinæ monumenta.

Sed vix, ut ingenue fatear, opus illud aggressus fueram, cum pœnitere suscepti muneris cœperit, & in ipso opere majorem molestiam & laborem experirer, quam animo præceperam ; imo sæpissime desperabam, me nunquam ad finem illud perducturum. Conjecerat enim ὁ πένυ notas suas, in minutas aliquando scedas, quæ partim laceræ, & mutilæ, partim putredine exesæ, vix literarum vestigia sæpe exhibebant. Neque in unum corpus & volumen lucubrationes suas congesserat, sed quatuor diversarum Phædri Editionum marginibus, cogitationes suas commiserat, quæ sæpe eadem aliis verbis, sæpe diversæ & contrariæ, maxime incertum animum dividebant, quid potissimum sequerer. Duravi tamen labori ferendo, & quamvis non

eo

P R Æ F A T I O. iii

eo apparatu prodiit, quo ipse Auct̄or, si per fata proprium foetum producere ipsi licuisset, non tamen contemnendam operam me in illis collocasse puto. Præsertim cum ea fide & religione in his exscribendis versatum me sciam, ut nihil *Gudio* subtraxerim, nihil, quod non manu illius notatum fuerit, exhibuerim, & semper consilio & ope Cl. *Grævij* in supplendis lacunis, & intricato verborum sensu expediendo, usus sim. Noverat enim Vir ille eximius pulcherrime *Gudij* sententiam de plurimis Phædri locis, cum eo, dum viveret, familiarissime usus fuisset, & sapissime de scriptis his sermones habuisset.

Exhausto hoc labore, & purgato hoc Augiæ stabulo, cum Typographo de publicandis his *Gudij* laboribus consilium ini; & quamvis mihi maxime placeret, Phædrum solis *Gudij* notis illustratum in lucem mittere, fastidij tamen hujus sæculi ratio habenda fuit. Vix emptores enim hodie Auctores & veteris ævi scriptores reperiunt, etsi doctissimorum virorum diligentia summa & eruditissimis notis illustrentur, nisi lenociniis quibusdam commendentur. Et inolevit mos ille jam ab aliquo tempore, nullos fere scriptorum veterum, nisi *Variorum Commentariis* illustratos esse titulus doceat, emittendi, qui à Pædagogorum tribu inventus, ingens ipsis studiis vulnus imposuit: hi enim, virorum doctorum labores mutilare, & illud solum, quod Scho-

laticorum horum palato arridebat, excerpere, excuffis è juventutis manibus integris & omni doctrina refertis commentariis, egregiam laudem putabant. Sic in plurimis auctoribus Thyfius & Schrevelius graffati, peffimum exemplum prodidere, & quo pacto levi & exiguo labore veterum fcripta corrumpi potuere, monftravere. Omnibus vero palmam præripuiſſe mihi videtur nuperus Phædri noſtri editor, qui virorum doctorem labores truncatos nobis exhibiturus, ridiculo commento damnum illud penſavit. Et cum ſentiebat nunquam doctis laborem illum, quem ipſe Phædro impenderat, probari poſſe, ſatis magnum operæ præcium putavit pueris placere, quorum oculos pulchris iconibus pacere palmarium exiſtimabat. Videtur autem has delicias, è monachorum diſciplina, repetiſſe, qui egregie rudes & omnis doctrinæ expertes, omnibus fere libris has ineptias inferebant. Sed nos puerilia hæc oblectamenta nemini invidemus, magiſque mentes auditorum doctis & ſolidis verbis occupare, quam his ludibriis oculis infidias facere volumus.

Integras igitur *Conradi Rittershuſij*, Germaniæ ſuæ quondam ornamenti, & non minoris Galliæ Decoris, *Nicolai Rigaltij* Notas Gudianis ſubjunximus: Deinde *Jo. Ludovici Praſchij*, qui plurimis ingenij ſui monumentis, & jndicij, quo valebat, dexterritate,

P R Æ F A T I O. v

teritate, dudum erudito orbi innotuit, subjecimus. Cum, quod eximia eruditione commendabantur, tum quod in his terris vix notæ, magnum diu desiderium commovissent; neque nobis, etsi omnes angulos excufferamus, eas reperire licuit, sed pro insigni erga literas studio, nobiscum eas communicavit Vir Illustrissimus, & in Germania sua communis eruditorum Mæcenas, *Friedericus Benedictus Carpzovius*, qui eas sua manu descriptas ad nos transmisit. *Tanaquilli* deinde *Fabri* commentarium dum subnectere par erat, à consilio quod ceperamus, aliquantum discedere placuit, & cum sæpissime prolixas, de rebus nihil ad Phædri fabulas pertinentibus, dissertationes notis suis immisceat, ea tantum excerpimus, quæ auctori nostro illustrando conducere judicavimus. Sed utilissimum imprimis *Schefferi* laborem, huic auctori insumptum, ipsis verbis Phædri subjecimus, cum & adolescentibus & Eruditioribus æque utilem operam navaverit. *Scioppij* quoque, *Freinsheimij*, *Gujeti*, *Neveleti* & aliorum notas, eas tantum congesimus, quæ instituto nostro facere, & molem libelli non nimis onerare videbantur. *Meursij* vero non magnam rationem habuimus, cum omnium virorum, qui post eum scripserunt, judicio infeliciter Criticam in hunc auctorem advocaverit, & nimiam sibi in transponendis versibus, & depravatis locis sanandis licentiam sumferit.

Denique per totum libellum sparsas, breves quaedam Viri Illustrissimi *Nicolai Heinsij* notas, ex codice quo usus olim fuerat, descripsimus. Et quamvis non is labor aliquibus videri posset, qui celeberrimo Heinsiano nomini ingens decus apponere possit, cum non diligenter elaboratus & elucubratus, sed temere, & ut inter legendum menti ipsi occurrebat, in marginem Phædri conjectus fuerit, non tamen ullam Manibus Viri Nobilissimi injuriam me fecisse puto, quum ex paucissimis ejus viri versibus, ingens lux scriptori huic sæpe affundatur, & aliorum diligentia conjecturæ & ex MSS. collectæ lectiones, illustrari poterunt. Multa vero jam olim cum *Scheffero* communicaverat, quibus vir ille in maximum reip. literariæ commodum jam usus est. Neque præterire hoc loco possum Amplissimorum Virorum, *Roberti Goesij* Reipublicæ nostræ apud potentissimum Regem Danorum Oratoris, *Gulielmi Goesij*, Juris Doctoris Eruditissimi, & *Caroli Crucij* Urbis Lugdunensis Senatoris, arctissimo sanguinis vinculo mihi conjuncti, benignitatem, qui ab *Heinsio* Hæredes scripti, ejus labores & doctissima scripta servant, & mecum ejus Viri Codicem communicarunt. Possident hi plurima adhuc in omnes fere Latinæ linguæ scriptores, præcipue in Poëtas, ab *Heinsio* exarata, & diligentissime in scriniis custodiunt, quorum inspiciendi, & si quid

P R Æ F A T I O. vii

quid cum Heinfiani nominis honore in lucem mitti possit, recensendi, mihi potestatem Viri humanissimi cum fecerunt, non possum quin insignia illorum virorum merita & officia hic publico commendem, & simul spem, brevi, cum luculentius mihi otium erit, plurima ex thesauro isto depromendi faciam. Non patientur enim tanti Viri hæredes & cognati, tantas divitias intra arcas strangulari, & vermibus escam ingratam fieri.

His omnibus, quæ ad commendendam hanc editionem accommodata videbantur, nostrâ industria, quædam ex Doctorem virorum observationibus, quas aliis libris insperferant, descripsimus; ex nostra autem penu fere nihil depromere licuit, cum, quia ingenij & doctrinæ infirmitas me tot Heroibus immiscere deterrebat, tum præcipue, quod cum jam emittendus esset liber, ab Amplifsimis Trajectinæ Urbis Proceribus, provincia juventutem publice docendi mandaretur, & tantus & tam infuetus subito humeris meis labor imponeretur, ut in novi muneris auspiciis vix tempus recognoscendi libri concederetur. Ignoscent itaque benigni Lectores, si quæ non satis accurata, vel festinatione nimia incogitantius scripta offendantur, & cum tot virorum laboribus summa cum utilitate & voluptate frui jam possent, facile reliquorum jacturam ferent.

Hæc potissimum de hujus editionis instituto differere visum fuit, neque de ipso *Phædro*, ejus fabulis, diversisque earum editionibus multa congerere necesse est, cum illum laborem elegantissima Epistola quam editioni suæ præfixit, *Rittershusius*, & prolegomenis suis *Præschius*, *Schefferus*, & alij præceperint.

Non tamen sine piaculo ea præterire possum, quæ olim *Gudius*, in capite Phædri sui de ipso Phædro breviter annotaverat. Diligenter ejus notas lustrantibus satis apparebit, quale de Phædro ejusque stylo judicium illius fuerit, qui ætatem ejus ad Tiberij principatum referendam, ipsumque Valerio Maximo aliisque ejus ævi scriptoribus æqualem fuisse censebat. Existimabat autem has fabellas demum post Tiberij mortem publici juris factas, cum non vero simile videatur, illum ausum fuisse fabulis suis viventem Imperatorem immiscere, quod quam periculosa aleæ opus esset, alia ejus temporis monumenta indicant; deinde quod fabulam de Ranis regem petentibus, & à Jove Hydram consecutis, Caligulæ tempora respicere existimabat; nam Tiberium de Caligula successore suo dicere solitum, *Exitio suo, communique Cajum vivere, & se Natricem (serpentis id genus) Populo Romano, Phaëtonem orbi terrarum educare*; testatur *Sueton Calig. XI.*

- Putavit

Putavit etiam Vir Doctissimus male Auctoris nostri Nomen in nominandi casu *Phædrus*, scribi, cum ex illius sententia rectius *Phæder* dicendus esset, quod his præcipue argumentis confirmabat. Linguae Latinae analogiam id docere, quæ in similibus nominibus, à Græco sermone derivatis, id fieri suadebat, ut enim Ἀλέξανδρος *Alexander*, Μένανδρος *Menander*, Ἀντίπατρος *Antipater*, Ἀναξίμανδρος *Anaximander*, Philosophus apud Suidam successor Thaletis, Περίανδρος *Periander*, de quo & Suidas, Σώπατρος *Sopater*, & infinita alia; Ita quoque Φαιδρός Latine *Phæder* dicendus sit. Eodem modo, quod non ingratum viris doctis fore puto, notaverat à γεόμετρος non *Geometra* sed *Geometer* efferendum, quod eo loco Aurelij Victoris in Epitome de Adriano Aug. ubi dicitur *Musicus, Geometra, Pictor*, confirmabat, & scribendum è MSS. *Geometer*. quomodo Andreas Schottus se in omnibus suis scriptis libris reperisse testatur, sed verissimam & genuinam esse eam lectionem non animadverterat, judicabat. Sed apertius illud constare putabat ex lapide apud Gruter. pag. CIO CXI. ubi legitur.

PHÆDIMO. VESTITORI. M. A U G.
PHÆDER. FRATRI PISSIM.

Et in alio Saxo Florentino inedito, sed quod in collectaneis suis, (quibus immensum à Grutero,

Grutero, Reinesio & aliis præteritarum inscriptionum numerum commisit, quasque aliquando orbi erudito expositum iri optamus,) descripserat, ubi memorabatur

RUNCULANIUS PHÆDER

Hoc autem nomen *Phædri* Græcum, quod inter libertos Latinos erat rarissimum, ideo ipsi ab Imperatore Augusto inditum putabat, quia ille in servis & libertis Græca nomina & erudita amabat. Sic Polybij, liberti, qui Augusti testamentum partim manu sua perscripsit, mentio occurrit apud Gruter. p. LXXV.

Hæc sunt quæ de *Phædro* ipso notaverat, & quæ silentio præterire religio erat. Plura hic addere priorum virorum doctorum labores, & de hac re disputationes prohibent. Hoc uno defungar. Mihi quoque *Phædrum* Tiberij ætate vixisse videri, quamvis eum provectæ admodum ætatis composuisse has fabulas videatur, ut ex Fabula LXXXI & XCI apparet? quo tempore potissimum scripserit, definiri vix possit. Sed à seculi Augusti nitore & naturali pulchritudine paulum admodum ejus scriptionem recedere, cuivis istius ævi deliciis assueto facileprehenditur; quod duplici ratione aliquis dicat ipsi accidisse; cum ipsius ævi culpa, quod statim à discessu Augusti mirum in modum defecit,

defecit, & à puro isto & simplici loquendi usu degeneravit; tum, quod optime, sagacissimus & dexterrimus scriptorum censor & æstimator, *Barthius* notavit ad *Claudianum* de Nupt. Honor. v. 141. Gentis, ex qua oriundus erat *Phæder*, vitio. Nam Romam deductus, homo Thrax & diu servus, non potuit eo nitore & elegancia scribere, qua *magnates illi, qui Atticis innutriti, & in Romani sermonis educati deliciis erant, quarum non sine labore utrarumque summam sub magistris utique indepti sunt, non hauserunt ex communi sermone loquentium; Magistris autem cum servi, ut Phædrus, caruerint, & sermonem quem quotidie audiebant secuti sint,* non mirum *Phædrum* ad summam illam elegantiam pervenire non potuisse, sed magis admirandum, illum & gentis & educationis vitiis tam bene emendatis, quantum servo (solum *Terentium*, qui *Lælij* & *Scipionis* opera usus est, excipio) unquam contigit, tam politam & elegantem scriptionem affectum fuisse, ut maximo fructu à juventute teri & legi posset. Tu benevole Lector his fruire & Vale.

J O. L U D. P R A S C H I I
I N
P H Æ D R I F A B U L A S
I n t r o d u c t i o .

NON abs re fore judicavi, si de his fabulis communia quædam & apta cum ad usum juniorum, (neque enim juvenis adultis, indoctus doctis scribo) tum ad institutum nostrum præmonerem. Igitur quod ad scriptorem ipsum pertinet, lectitandus Prologus Libri tertij, qui ut est perfectæ dedicationis libri specimen, ad patriam ejus, ingenium, studia, fortunam causasque scribendi cognoscendas gradum struit: quanquam & aliis locis seque & conditionem suam haud obscure depinxit. Quod indicare tantum libuit, ut esset ἐπισειροῖς, in quo animum exercerent. Nunc ad fabulas aggrediamur, quarum tres sunt partes: titulus, fabula, affabulatio. De titulis actum ad fab. 69. Ipsas fabulas si spectamus, non absque

absque delectu has collectas invenimus. In cæteris, quas communi nomine Æsopias dicunt, nonnullæ aridæ sunt & exangues, quædam etiam meræ sunt similitudines. At quas Phædrus excerpfit, vel adinvenit, ingeniosas satis arbitror: nisi quod fab. 41. frigidior videtur. De argumento jam si quæras, ex civilis prudentiæ monitis fere sunt conflata, quæ in domo potius regnatrice, quam in scholæ spatiis hausit. Quod probavit luculente, dum exitium Sejano, nisi me conjectura fallit, cecinit ut vates. Quanquam etiam sunt, quæ consultus Juris inde capere possit. Nam judicij formulam & officium judicis repræsentat fab. 10, 49, 52. ubi ipsæ litis causæ expendendæ: sicut & controversia quæ movetur fab. 87. Sycophantam, & punitam testis improbitatem exhibet fab. 17. Fraudatorem & fideijussorem improbum fab. 16. Testamentum, ubi incurrit locus de interpretatione fab. 63. Jus talionis, quod Rhadamanteum vocant, fab. 26. Reliquam partem occupant præcepta morum & communis vitæ, veræ etiam historiolæ, nec non & licentiores joci (unde *improbus* forte Martiali Phædrus dicitur) multaque circa theologiam ethnicorum, veterum ritus, temporum istorum statum atque corruptelas, quas oblique passim notat: adeo ut Tiberium ipsum crebro ac Seianum, cui favienti faviens Cæsar vires præbebat, nunc mordere, nunc monere

xiv J. O. L. U. D. P. R. A. S. C. H. I. I

monere videatur. Proinde discriminis evitandi causa, ut conjicio, affabulationem sæpe aut alio flectit, aut nimis laxè concipit, aut plane supprimit. Quare qui penitus hæc scrutari cupit, is necesse est ut memorias rerum, quæ Tiberij principatum complectuntur, in subsidium adsciscat. Ac de rebus satis fere exposui. Oratione Phædrus utitur Latina (tametsi repugnare aliqua videntur) pura, probabili, dilucida. Sed duæ maxime virtutes ei propriæ sunt, facilis brevitatis, & ingenua suavitas: eoque, ut mea fert sententia, puerili institutioni nullus magis scriptor convenit. In brevitate ipse se jactat, aitque *commendari tanto justius, quanto poetæ sunt molesti valdius*. Vis unicum ejus exemplum? Proœmium Libri primi lege, & cum longissimis aliorum præfationibus (quas urbanissime merito ridet Martialis Lib. II. Epigr. Epist. ad Decian. & Petrus Cunæus in Sard. Ven. p. 25.) compara. Septem sunt versiculi, quibus omnia ea ediffertat: quid, quo duce, quo modo, quo genere carminis tradat: quotuplex sit libelli usus: ac demum quid obtrectari, quid responderi possit: ut libellus hic merito, si Ebræo more loqui licet, *cabus*, isque *purus*, id est, ut ejusdem gentis proverbium habet, *modicum ac bonum* complexus videatur. Suavitatem duabus potissimum rebus efficit. Prima est varietas, dum non unum sententiis (de quo mox amplius videro)

&

& narrationibus habitum induit, dum stilum variat, dum interponit Prologos, Epilogos, aliasque velut *ἑκτάσεις* & *παρακτάσεις* ad lectorem aut ad amicos, dum denique vera fictis, exempla (quæ alium alioqui locum sibi vindicant: quamvis & hoc de quibusdam dici nequeat, quum Historia pro humilibus & minutis aspernetur) fabulis permiscet. Altera est ars accommodandi brutis, quæ sunt hominum propria: ut simio ac vespæ iudicibus sententiam solennibus formulis conceptam fab. 10. & 52. vulpi orationem admodum civilem & *μεγιστοπράειος* emollitam, ad draconem, animal iracundum, fab. 76. convicia muscæ & ampullas fab. 80. philosophandi facultatem cani & agno fab. 54. Et hæc sunt quæ *risum movent* uti Prol. Libri I. loquitur. Jam ut metrum quoque perstringamus, senariis fabulas has inclusit, qui (ut observavit etiam Cicero in Oratore) sermoni sunt simillimi: unde & Comicis amantur. Et huc pertinent quæ differui ad Digress. post fab. 64. Quo intelligitur, quamobrem Afer ille Comicus Notis nostris sæpius illigetur. Errabit tamen, si quis stilum hunc simplicitati Comicæ per omnia læquiparaverit. Assurgit enim paullulum supra foccum, & ad orationem vere poëticam propius accedit. Arguunt hoc vocabula quæ admittit: ut *laniger* pro ove; *sonipes* pro equo; *ferus* pro leone, apro, cervo; epitheta, quale *fulmineus* aper, *setosa*

setosa sus : phraſes, ut *carpere oscula* : verborum collocatio, in hac *οψύσει*. *Puerorum in turba quidam ludentem Atticus Æſopum nucibus quum vidisset* : integri denique verſus, nam graviores comicis ſunt hi : *Procax libertas civitatem miſcuit, Frenumque ſolvit priſtinum licentia*. Sonantior ille : *Tumens inani graculus ſuperbia*. Splendidiores autem, atque adeo quovis ſyrmate digni : *Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo, Piſtisque plumis gemmeam caudam explicas*. Sublimiores itidem : *Fugum flagello temperat lento meum, & lora frenis continet ſpumantibus*. At hi verbis ac ſententia vere ſunt poëtici : *Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo, & reliqui* ; Item, *Threiffa quum gens numeret actores ſuos, cum ſequentibus*. Integrum vero ſpecimen *αδρῆ χαερκίῃ* edidit Digreſſ. poſt fab. 64. quod ipſe inculcat iſto carmine, *Et in cothurnis prodit Æſopus novis*. Atque id quidem minime eſt mirandum, quum Virgilij non indiligens lector & imitator appareat : quod exemplis in Scholiis demonſtravi. Superest ut de affabulatione ſubjungamus : quæ nihil aliud quam fabulæ explicatio, & ad propositum applicatio. Fere vero conſtat ſententiâ : quæ nunc nuda & libera ponitur, nunc cum apparatu fabulæ connectitur. Illa recta intelligitur, hæc obliqua, Illius exemplum præbet fab. 4. hujus fab. 3. Interdum ſententiæ directæ propositio additur, ſicut fab. 10.

Sunt

Sunt porro sententiæ vel graves, ut Fab. 55. vel aptæ hominum opinionibus, ut fab. 54. aut moribus, ut fab. 44. Concurrit primum & postremum genus fab. 32. Rursum vel sunt simplices, ut fab. 5. vel tractatæ, ut fab. 8. ubi duplex ratio. Exempla videas addita fab. 49. ἐπίκρῖσις fab. 43. Interim præcurrunt fabulam, interim sequuntur, vel eidem innectuntur, ut ex prioribus tribus fabulis patescit. Est ubi geminentur: in principio fab. 27. in fine, fab. 68. utrobique, fab. 13. Quin etiam excluduntur aliquando, dum vel ad cogitandum acutis relinquuntur, ut forte fab. 6. vel superfluxæ videntur, ut fab. 53. vel dum talis est fabula, ut risui magis quam doctrinæ serviat, ut fab. 74. quam quidem nec nomine dignam puto nec jure fabulæ, id est, explicatione & emendatione: cujus tamen, ut quæ maxime, indiget. Quandoque sententiæ loco nihil aliud quam indicatur genus hominum, de quo fabula tractat, velut fab. 7. aut plenius *χαεραῖσις*, ut fab. 36. Quo retulerim apostrophem, quæ sequitur fab. 76. idèoque submoto numero & intervallo, committendam & jugandam isti fabulæ censeo. Hæc de partibus harum fabularum dicta sunt: quæ si quis cogitatione vellet persequi, haud difficulter *præcepta fabularum* ex solo concinnare Phædro posset. Neque enim absurdum est aut insolens, optimum in re quaque sibi diligere; tum genium ejus, tanquam ideam,

C

animo

xviii JO. LUD. PRASCHII

animo concipere ; & à singularibus adscendendo ad universalia, artem parere. Sequitur, ut de apologorum horum usu pauca, quamlibet non tam ad Phædrum, quam fabulas in univèrsùm pertinentia, delibemus : tum quod pars hæc maxime utilis, tum quod ab aliis deserta. Si igitur solidum ex his fabulis emolumentum volumus consequi, opus est ut sollerter primum singulas excutiamus, excusas dein futuris usibus præparemus, id est, animo dispiciamus, quibus negotiis, temporibus, personis, una harum quælibet adhiberi queat. Neque enim in orationibus duntaxat scholasticis, (immo Horatius ne in poëmata quidem humilem usum hujus generis putavit) aut in familiari sermone ; sed in gravissimis sæpenumero deliberationibus & concionibus inveniunt locum. Exempla Demosthenis (cujus fabulam Hugo Grotius, dubium ludente calamo, an altiori consilio, luculento certe specimine, versu est complexus) Antiochi, Themistoclis, Stesichori, Menenij, Tiberij, nota sunt : nec recentiora desunt. Quibus mota est forsitan Margaretha, Henrici Albretani Navarræ Regis conjux, fœmina omnibus ingenij & animi dotibus exulta, ut decima Musa & quarta Charis appellari meruerit : cujus nomine fabellarum volumen editum Thuanus refert. Nimirum *fabula*, (ut ait Tullius in Partitionibus) *etsi sit incredibilis, tamen homines commovet*. Ideoque etiam

etiam à Rhetorum filiis tractatur. In primis vero, si plebeiis arduum quiddam persuadendum venerit, cujus intellectum ipsi non capiant, ad fabulam nos recipiemus. *Imperiti enim (dicam ore Fabij) & simplicius quæ facta sunt, audiunt; & capti voluptate, facile iis, quibus delectantur, consentiunt.* Porro, illud veluti *κρύφειον* ignorare non oportet, nullam prope dari fabulam, quin pluribus, iisque diversis rebus, accommodari possit. Quare non iners Phædri lector affabulationi neutiquam acquiescet: verum, quum illa plurimum sit generalis, ipse cogitatione descendet ad subjectas formas: aut si nimis arcta videatur, fabulæ usum industria sibi dilatabit. Exemplis res clarescet. Fabulæ primæ *ἐπιμύδιον* quum de his communiter sit conceptum *qui fictis causis innocentes opprimunt*, nihil officiet, quo minus & in vaforibus alienæ gentis, & in civitate tyrannis, & calumniatoribus in judicio, & Zoilis Carbiliisque in re litteraria, & Momis in communitate vitæ applicemus. E diverso, fabulam 84. cujus restrictius est *ἐπιμύδιον*, ad jucunditatem vindictæ fac extendi. Ipse Phædrus exemplo suo præit fab 13, 27, 68. Neque illicitum reor, tabularum opportunitates pro præsentis argumenti ratione mutare non nihil atque flectere, partem etiam, quæ lædere videatur, prætermittere: veluti si dicturus, honestum debere lucro anteferri, recites fab. 56. atque in illo carmine

finias: *Honorem fructu ne videamur vendere.*
 Nec vero tantum aut fabulosis folis, aut γνώ-
 μαις πολιτικαῖς, quibus auctæ sunt, utemur;
 sed fabulas ipsas aut in proverbium contra-
 hemus, aut quocunque ad eas modo allude-
 mus: cum primis ubi tam fuerint notæ, ut in
 omnium ore atque animis versentur. Magistro
 iterum Phædro hoc discamus, qui non aliun-
 de quam ex ipsa traxisse tabula videtur hanc,
 quam fab. 3. præmunivit, sententiam: *suo
 potius habitu vitam oportere degere.* Inde
 est, quod Quintilianus notat, *confinem esse fa-
 bulæ παροϊμίαν, & per allegoriam accipi, ut, nos
 nostrum inquit, onus; vos clitellas.* Atque
 etiam symbola, similitudines, emblemata, ac
 si quæ sunt ejusmodi, nonnunquam ex fabulis
 utiliter struemus. Ex quo fiet, ut non mo-
 do in promptu semper habeamus, quod ora-
 tionibus, consiliis, epistolis, colloquiis deco-
 rè inferatur; sed ingenium mire subigamus,
 id est, acutum, promptum, varium reddamus.
 Judicio autem exercendo maxime infervit
 comparatio earundem aut similium fabula-
 rum, ab aliis atque aliis descriptarum: quæ
 ad indolem scriptoris quoque & artem perno-
 scendam mirum quantum valet. Ea gratia
 Gabriæ aliorumque fabulas παραλλήλως curiose
 annotavimus. Sic Phædrus fab. 19. conferri
 posset cum Justino 43. 4, 4. qui eandem bre-
 vius ac simplicius exsequitur. Eiusdem Phæ-
 dri primam contendas licet, cum Æsopi sexta:
 sed

sed ratione parumper diversa, quam rudi Mi-
nerva demonstrare non pigrabor. Principio
ad eandem utraque metam tendit: quod enim
in illa lupus & agnus, id in hac felis est &
gallus. Exprimunt vero ingenium τῶν πονηρῶν
φύσεων, præcipue tyrannorum, atque adeo ἀν-
τιπάθειαν, quæ est inter ipsos, & bonos ac sa-
pientes: gradus item, quibus ad flagitia (id
quod ad principia ac processus humanarum
actionum in moralibus refertur) perveniri so-
let. Fit enim primum mentio *facis improbe*:
deinde τὸ βέλειθαι κατὰφαγεῖν, sive, ut explicat
attabulatio, τὸ αἰρεῖθαι πλημελεῖν: mox infi-
diosi *jurgij*, tanquam instrumenti: denique
facti impetus, quem significat vox *conceptum*:
& qui ultimus actus est tragœdiæ, *lacerati-*
onis ac vorationis. De jurgio id addo: edo-
cti à conscientia tyranni, nihil execrabilius
esse injustitia; de honesta sceleris præscrip-
tione cogitant, μέγ' εὐλόγῃ, ait Logographus,
αὐτὲς αἰτίας βέλειθαι κατὰφαγεῖν. Hinc variū
certamen criminantis malitiæ, & tuentis sese
innocentiæ. Ab illa parte stat astutia, im-
pudentia, calumnia, mendacium; ab hac
ratio, veritas, communis sensus. Sed vi tan-
dem superat improbitas, dum argumentis ne-
quit: vincitur veritas, quum maxime vincit.
Dixi, in quibus hæ fabulæ convenirent: nunc,
in quibus discrepent, evolvam. Lupus, dum
ad flumen proficiscitur, in agnum casu incidit:
felis certo consilio infidias gallo comparat.

xxii JO. LUD. PRASCHII

Lupo itineris caussa, fitis ; facinoris, (quod idcirco gravius) improba cupiditas ; feli utriusque caussa fames. Ἐγώ γε μὴ ποί, ait ipse, ἀγροφῶ ἐμενῶ. Felis gallum prius comprehendit, quam accusat, quippe qui posset *prodire volando*: lupo agno facile perniciosior, perorata caussa reum corripit. Agno tria accusationis capita proponuntur, gallo duo. Illi opprobratur, quod aquam turbet ; huic, quod somnum. Lupus violentior, qui suas injurias exoptulat ; callidior ælurus, qui speciose, hominum & naturæ caussam agere se, caussatur. Controversiæ lupi & agni de factō sunt, quæ *conjecturalis* constitutio ; felis & galli de jure, quæ *juridicialis*, rite dicitur. Agnus inficiando crimina elidit, dum ἀνίσταται demonstrat ; gallus confitendo eludit, dum utilitatis publicæ rationes explicat, & argumenta convertit. Felis disputando fessus, immo victus, bene dissimulatam sævitiam indicat, caussæque vitium, subigente conscientia, fatetur ; lupo infamiæ metuentior (ex quo tyrannicorum ingeniorum diversitas elucet) agnum prius immolare parcat, quam aliquid negatu non tam facile inveniat, quod usque ab agni patre arcessit. Sed poëta personam ipsi detrahit, subjectaque ἐπιτίθει necis injustitiam promulgat. Et hæc quidem ad viam in Phædri lectione utcunque demonstrandam sufficere arbitrati sumus. Neque enim constipare omnia, quæ vel dici poterant, vel ab aliis

PRÆFATIO. xxiii

aliis bene jam dicta sunt, necesse habebamus. Quod institutum deinceps quoque servabimus.

PRÆFATIONES
JO. SCHEFFERI.

Lectori Benivolo S. D.

HAbes ecce Phædri nostri tertiam editionem, quam ut publicarem, Dn. Gothofredi Schultzen, Bibliopolæ Hamburgensis perindustriæ rogatu feci, qui desiderari eam per Germaniam significavit, suosque ad eam typos ultro obtulit. Speramus autem tanto hanc futuram gratiorem, quanto in ea & emendavimus plura, & prioribus adjecimus. Quod advertet facile, quisquis hanc conferre cum superioribus haud gravabitur. Plura hic addi necesse non existimo, & abunde factum in Præfatione editionis secundæ, quam idcirco huic subjecimus. Vale, studiisque nostris fave, lapsibusque æquum te ac humanum præbe. Scr. Upsalix a. d. 22 Decemb. 1671.

Quem secunda vice tibi damus, Lector optime, à nobis editum, latinissimum elegantissimumque Scriptorem *Phædrum*, multiplex variaque hætenus fortuna circumegit. Primum enim omnium contra non opinionem modo suam, sed & meritum, inde propemodum, ex quo scripsit, notus paucis jacuit in tenebris, nullius certe, præter *Martialis Avienique*, veterum, quod ad nostram pervenire potuit memoriam, de se testimonium impetravit. Etiam post renatas litteras elegantiores mansit ignotus, donec contra expectationem omnium protractus est in lucem à clarissimi nominis doctrinæque viro, *Petro Pitheo*, qui excudi eum primus fecit Augustoduni Tricassium in Galliis A. MDXCVI. sicut fit in curis primis, integre ac emendate parum. Placuit nihilominus is labor magnis doctrina viris, beneficioque haud levi affectos sese, tam illustri monumento sæculi præstantissimi publicato, passim sæpiusque sunt testati. Atque accidit eodem anno, ut vir singularis, deque litteris etiam humanioribus præclare meritis, *Conradus Rittershufius* sibi sumeret hanc operam, eundemque *Phædrum* in Germania commentariis doctissimis & illustraret, & corrigeret. Cui paulo post, nimirum Anno MDXCVII. *Conradus Schoppius*, vir nemini, ac ne nostro quidem satis æquus, Spicilegium adjecit suum, non profecto contemnendum

JOAN. SCHEFFERI. xxv

temnendum, licet sit, qui exagitet mirifice, ac fortasse plus, quam oportebat. Istis eruditorum virorum studiis excitatus denuo vir clarissimus eruditissimusque *Jac. Rigaltius*, eundem recudi fecit Parisiis An. MDXCIX. & secunda vice Anno MDCXVII. apud Robertum Stephanum, editione supra cæteras nitida & elaborata, simul addidit, quæ ex collatione codicis Bibliothecæ Remensis optimi ac antiquissimi ad meliorem nonnullorum castigationem observasse sibi videbatur. Quanquam fuerat optandum, ut in hac editione, quæ revera essent ex Remensi codice deprompta, quæ subnata ex *Rigaltij* judicio, ea certioribus indiciis comparerent: quando constat, non easdem esse lectiones, quas in suis probat, sed nunc has, nunc illas anteferri, citra discrimen manifestum eorum, quæ ex codice antiquo, vel judicio ipsius provenerunt. Certe quæ deinde circa Annum MDCXXX prodiit minori forma, per Seb. Cramoisy excusa, in tam multis à priori diffidet, ut quid hujus illiusve fidei vel auctoritati tribuendum sit, haud discernatur. Nec interea destitere per Germaniam viri docti suum facere officium: quin imo fuit quidem *Isaacus Nicolaus Neveletus*, ipse quoque Gallus natione, qui Heidelbergæ, ut videtur, edidit Scriptorem hunc cum aliis ejusdem argumenti, eo ipso tempore. Præfationem sane suam Anno MDCX scripsit ad parentem, quæ superiori

xxvi P R Æ F A T I O

periori Anno MDCLX denuo Francofurti prodiit in lucem. Sed & eopse anno, sexcentesimo videlicet ac decimo, *Phædrum* publicavit *Meursius* in Batavis, opera Plantiniana Raphelengij, una cum Symposio, & aliis, Notis item *Rittershusij Schoppiique*, quas suis notis ac animadversionibus locupletavit. Quæ editio ut est nitida & elegans, ita quæ à *Meursio* adjecta habet, iis caruisse poterat majore aliquanto viri optimi auctoritate. Qui ut orbem eruditum suis elaboratissimis operibus pridem sibi habet devinctissimum, ita in hac parte invenitur pene nihil, quod doctrinæ ipsius respondeat. Post hoc tempus iterum neglectus noster *Phædrus* jacuit, donec in Germania dextram ei admoverat eruditissimus *Ursinus*, Ratisbonæ publicaret A. MDCLVII, textumque hic & illic docte emendaret. Unum optassemus, ut abstinuisset religione majori ab ejiciendis illis quibus officii juventutis moribus credebat. Licet enim argumenta isthæc probus nemo laudet, neque sit incognitum, quam facile illa ætas ad deteriora pertrahatur, tamen nihil esse, quod Scriptores veteres magis mutilarit, certo scimus, lacerosque ac deformes ad nos transmiserit, quam hoc pium fortassis, at intempestivum rescindendi reformandique omnia, ex arbitrio cujusque, studium. Quin potius, si oculis juventutis illa subducenda erant, relegari ad libelli calcem poterant, ne omnimoda exterminatione

minatione fieret deformior, quem jam ante fati membris aliquot habemus detruncatum. Eo ipso, quem prædixi, anno idem institutum fuit Cl. *Tanaquilli Fabri*, viri citra controversiam doctissimi, qui eum una *Publij Syri* cum sententiis edidit Salmuri, Notasque cunctis longe præstantissimas doctissimasque, ac quæ cæteris palmam facile præripiunt, adjecit. Quadirennio post, id est, An. MDCLX extitit *Ludovicus Praschius*, vir & ipse doctus, qui eundem luci Gießæ reddidit, neque pauca in eo, sive loca cogites suspecta, sive cætera intellectu parum obvia, expedit. Hæsitavit tamen in aliquibus, quia nec *Rigaltij* editiones vidit, neque *Tanaquilli Fabri*, quæ juvare ipsum potuissent. Quare tandem ego quoque motus suavitate Scriptoris, & sermonis Latini, quo est usus, rectitudine, sumere in manus denuo, & quia cum sæpius juventuti nostræ commendaveram, exemplaria vero comparari nulla posse, quantalibet pecunia sciebam, publicare eundem proposui. Verum deerant & mihi, quod plerisque officisse intellexi, quo minus absoluta darent, editiones omnes veteres recentisque, *Tanaquilli Fabri* maxime, de cujus ante alias præstantiâ indicium Cl. *Gronovius*, pro singulari suo erga me amore, quem prædicare nullo tempore intermittam, mihi fecerat. Tandem cura factum amicorum, ut & illa, & quæ tum novissime prodierat, Praschiana simul ad
me

xxviii P R Æ F A T I O

me perferrentur. Ita mea olim in Scriptorem nostrum consignata contuli cum editis, sicubi abiisse videbantur alio, quam vellet, *Phædri* animus, super eo meam simplicissime sententiam proposui. Prodiit ea nostra cura, una cum *Guyeti* notis, primum à nobis luci datis, Anno MDCLXIII. Neque multo post evenit, ut Argentorati proderentur optimi, cumque viveret multiplicibus nominibus conjunctissimi nobis Viri, *Dni Freinsheimij* curæ, verum post ipsius obitum Anno MDCLXIV, ab *Henrico Holstio* Dano, viduæ *Freinsheimij* relictae marito, atque sic *Freinsheimianæ* Bibliothecæ hæredè. Quæ causa fuit, quod non omnia sic legantur exposita, sicut factum credimus fuisse, si *Freinsheimio* ipsi vitam diuturniorem, quod ingentes viri virtutes, & vulgarem longe supergressa eruditio videbantur meruisse, Deus rerum humanarum arbiter voluisset largiri. Nunc cum præter *Meursianam* ultimamque *Rigaltianam* videret editionem pœne nullam, sicut constat ex ipsius commentario, mirum esse nequit, quod & ipse alicubi vel hæsitavit, vel sententiam prode suam intermiserit. Eodem anno quasi facta conspiratione illum ipsum *Phædrum* altera vice dedit *Tanaquillus Faber*, nitidissimamque versionem Gallicam, ipsisque Gallis ante cunctas fere versiones quorumlibet scriptorum probatum adjecit, nostram etiam editionem censura lustrare sua instituit. Qua in
censurâ

censura sicut libertatem viri eruditissimi laudamus, nec obstare illi ulla intercessione nostra cupimus, ita studio majore ponderata optassemus ea, adversus quæ dicendam sibi sententiam putabat. Poterat fortassis etiam alicubi formulis usus esse mitioribus de eo, quem contradicendi pruritu nullo, sed amore solo veritatis ad negotium hoc sentiebat plane adductum. Mihi sane adeo ad diem illum *Faber* fuit ignoratus, ut illius nihil ante, ac ne notas quidem in scriptorem nostrum, nisi festo, ut prædixi, viderim, vel legerim. Quare si editione ista, quam nunc publicamus, de novo excutimus, quæ ipse prodidit, parique libertate nostrum declaramus animum, ægre ferre non debet, cum, quod credimus, deprehensus ipse sit, rationibus nos haud destitui & idoneis & multis. De cætero amare Viri eruditionem raram non omittimus, gratiasque illi agere pro multis, quæ in usum eruditi orbis partim hic, partim alibi publicavit, quin imo hortari eum, si quo pacto licet, sustinemus, ut hoc eruditionis genere citra verborum acerbitatem tamen, & convicia in innoxios, publico prodesse pergat. Quod vero nos ad alteram editionem accesserimus, inopia exemplarium est factum, quæ jam ante bieunium, fere omnia sunt distracta. Cui eo magis erat succurrendum, quod plerique hoc Auctore nunc expoliendis primis discipulorum suorum rudimentis suavis meo

utantur.

xxx P R Æ F A T I O

utantur. Atque quoniam evenit in editione priore, ut exciderent nonnulla nobis five festinantibus, five oscitantibus, ea nunc correximus, sententiamque nostram commutavimus. Sed & explicata quædam parum evidenter, apertius interpretati sumus. Omnino enim, quod jam olim sumus professi, hac editione juventuti prodesse volumus, præsertim nostræ, cujus informandæ & adjuncta idonea dispicere alios extra regiones istas posse difficulter arbitramur. Alia est nostra, alia aliorum ratio, quod adeo non ignorandum, ut attendi maxime in censura de nostris oporteat. Indicem postremo subjecimus locutionum & vocabulorum omnium, à *Cl. Freinshemio* concinnatum quidem primo, nostris autem usibus accommodatum: unde quædam ejus, quod innoxia libertate factum arbitramur, vel immutavimus, vel omisimus, vel denique adjecimus. Atque hæc sunt, quæ præstitimus in hac editione repetita, præstare profecto conati sumus. Cætera jam olim explicavimus: in textu nempe ultimam *Rigaltij & Tanaq. Fabri* esse nos secutos, nisi ubi temere omiserunt quæ in aliis legebantur. Loca vitiosa vel ambigua, quantum licuit, vel emendasse, vel saltem indicasse. Plurimum *Nob. Ampl. Dnn. NIC. HEINSII & JO. FR. GRONOVII* subsidio in his usos esse. Latinitatem *Phædri* alicubi suspectam ex *Virgilio*, quem

JOAN. SCHEFFERI. xxxi

quem religioſe ſibi ſumpſerit ſequendum, quandoque ex *Terentio*, & *Plauto*, & *Horatio*, & *Tullio*, & aliis comprobaffe. Deſcendiſſe ad minuta etiam. Vim vocabulorum, aptitudinem, ordinem monſtraſſe. Denique hæc omnia feciſſe juventutis cauſſa, etiam cum periculo exiſtimationis noſtræ, quam augere talem operam haud poſſe novimus apud delicatos animos, nec niſi rerum maxime reconditarum explicatione ſuetos plurimum minuere. Quod ſi gratum utileque quid labore iſtoc noſtro juventuti attulimus, propoſito ſatiſfactum noſtro putabimus. Sin minus, apud æquos humanosque voluntatis ſaltem bonæ laudem nos confeſcutores, minime deſperamus. B.V.

TANAQUILLI FABRI
IN
PHÆDRUM
PRÆFATIO.

SI, LECTOR, is essem, qui vulgi judicio dandum esse aliquid existimarem, longe aliud scriptiois argumentum mihi sumpsissem quam quod à me sumptum est. Quippe libellum illustrare aggredior, qui *ως ἔστιν ἐπίδειξις, quæ μαμακῶδων δέλεαρ* est, nil quidquam habet. Sed vanis rerum haud ductor; quin contra, sapientissimorum hominum sententia impulsus, & vitæ communis usu edoctus, ita semper judicavi, hanc edificandæ sapientiæ rationem, quæ poëtarum Ethicorum intelligentia nititur, aliis institutionibus quæ vulgo usurpantur, anteponi debere, præsertim autem tristibus illis ineptiis, queis adhuc, ita inficetum seculum est, inconsulta juvenus sub specie Philosophiæ imbuatur. Mirum itaque haud fit, auctorem fuisse me bibliopolæ describendarum Phædrifabellarum, & ad eas recensendas, aut animadversionibus

madversionibus purgandas, aliquid conferre
 me post tot doctissimorum hominum curas
 voluisse. Etenim hoc mihi ἐν τοῖς μάλιστα per-
 suasum, plus profuisse humano generi hoc
 Scriptorum genus, quam sexcentos Chrysippos
 & totidem Crantoras, idque adeo si probare
 lubeat, allatis veterum Sapientum testimoniis
 ab usque Socrate ad præstantissimos memoriæ
 nostræ scriptores, nullo negotio facere possim.
 Ad notas autem & animadversiones nostras
 quod attinet, non est quod quis illas ideo
 aspernandas existimet, quod ad Phædrum
 scriptæ sint; namque alia ut mittam, Phædrus
 noster, quodcunque tandem de illo hominum
 ἀεὶ ἐργασίωντων iudicium sit, Dionysio certe Catone
 inferior non est: cujus tamen disticha emen-
 dare, & notis suis meliora facere non erubuit
 Sol ille ingeniorum Josephus Scaliger. Adde
 hoc quoque repertum iri ἐν τέτρω ποιιδίω, quæ,
 emendatis oblata occasione aliis scriptionibus,
 se se elegantiorum hominum auribus proba-
 bunt. Sed ἄλλης φεσιμίων: Ad rem ipsam veni-
 endum; nam de Phædo paucula dicenda
 arbitror.

Si, quæ olim à Suetonio Tranq; de poëtis,
 philologis, ac grammaticis Latinis conscripta
 fuerant, ea ad nos integra pervenissent, Phæ-
 drum melius nossemus; neque enim credibile
 fit, prætermissum eum à Suetonio fuisse, qui
 tanta diligentia veterum illorum vitam per-
 quisierat, & ad posteros, nisi invidisset malum

xxxiv P R Æ F A T I O

literarum fatum, transmiserat. Phædri quidem Val. Martialis meminit, sed duntaxat meminit. Neque plura nos docuit Avienus, qui sub Theodosio floruit. Quamobrem sibi ipse *facem luceat* Phædrus, suæ sibi vitæ scriptor fit & testis necesse est. Ut igitur à patria incipiamus, Thrax fuit; quod hominum genus primis temporibus & scientiarum artiumque cognitione, & morum severa disciplina cultum fuit, vel propter colonias in oram maritimam à Phœnicibus deductas, vel quod olim, ut facile probare possum (quamquam id paucis cognitum) ὄμοροι Atheniensibus fuerunt, & post in eam regionem recesserunt, quæ ab iis Thracia dicta est, supra Macedoniam, (hujus rei testis locuples est Isocrates:) Vel denique ob alias causas, quas ego divinatione non possum assequi. Sed, ut sunt humana, lapsu temporis tanta illos barbaries fœdavit, ut, Thucydide teste, nil crudelius, nil magis cædibus gaudens fuerit. Inde igitur domo fuit Phædrus, neque illi ad præclararum artium cognitionem contendenti obfuit ἀγριον illud patriæ ἠθῶν, ut nec Anacharfidi Scytharum feritas, aut Bioni inhumanitas Boristhenitarum, quos hodie Cosakas vocant. En tibi quod de se scribit :

*Ego, litterata qui sum propior Graciæ,
Cur somno inertī deseram patriæ decus?
Threissacum gens numerat auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo?*

Con-

TANAQ. FABRI. xxxv

Conditione servus fuit, (quod ei cum Terentio multisque aliis præstantibus ingeniis commune est;) sed quo casu factum sit ut Romæ in domo Augusta servierit, tam equidem scio, quam qui omnium minime. Postea ob elegantiam ingenij, morumque cultum manumissus est, unde in librorum MSS. titulo dicitur. A U G. L I B E R T. Vixit sub Octaviano Cæsare, ac sub Tiberio, sub quo & scripsit, fortasse ante afflictum Sejanum, in quem haud dubie invehitur in antelugio Lib. III. Potuit & ad Caij usque tempora pervenisse. In literis autem jam usque à prima pueritia institutus est perquam diligentissime; quod & matura percoctaque eruditio, & Linguae Latinae lenis illa & æquabilis puritas atque ingenuitas, vel me tacente, pervincant, apud eos saltem iudices queis aures eruditæ sint. Hinc est quod de se alicubi magnifice fortasse, sed vere tamen, ausus dicere est :

*Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne fovi
Fæcunda novies Artium peperit chorum;
Quamvis in ipsa natus sim pene schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim.*

Libellos autem suos scripsit ad Particulonem, Philetum, & Eutychem, quos omnes arbitror pileata capita fuisse; certe nomina ipsa civium

xxxvi P R Æ F A T I O

Romanorum non sunt. Calamitatem passus est gravissimam, ut frequentes de illa querelæ fatis probant : sed cujus ea generis fuerit, Oedipi est divinare, non nostrum. Quæcumque illa tandem fuerit, ejus in Sejanum causam confert : ita enim exponendi versus ij. videntur, qui Lib. III. occurrunt.

*Quod si accusator alius Sejano [id est, alius
à Sejano] foret,
Si testis alius, judex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.*

Cæterum ita vim & genium fabellarum suarum noverat, ut multam magnamque sui partem ad posteros pertinere existimaverit ; quæ spes eum usque adhuc frustrata non est, neque posthac frustrabitur. Versus sunt Lib. V.

*Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.*

De dicendi autem genere si roges quid sentiam, dicam equidem, & quasi me Censor rogaret, EX ANIMI SENTENTIA ; Neminem arbitror à felici illa Terentij simplicitate propius abesse :

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Τὸν οἱ χερσὶ ἀμφιπεριστρέφει ἐπιέσσει.

Itaque

TANAQ. FABRI. xxxvii

Itaque adeo nec dubitavimus olim alterum cum altero comparare; sic enim ludibundi scripsimus:

*Parce Barbaras vocare, quas Hebrus terras lavit;
Barbaras vocare parce, Phædrus en noster vetat,
Tibris illum sic amavit, pileato ut nemini,
Qua patet Romanus orbis, plus debere deberet,
Ni Lybissa terra scenis potulisset Publum.*

Nemo certe è veteribus ingenio fuisse videtur ad illam Terentij *semper lenitatem* magis facto quam Phædrus, quod & necesse fuerat; ea enim est Apologorum atque adeo fabularum omnium natura, ut sermone non debeant nisi facili, nisi molli, placidoque tractari. Quamobrem si quis erit qui scripturam hanc fabularem pro levi & nugatoria contemnat; eum ego maximo opere oratum velim, principio ut meminerit, sapientem (quod aiunt veteres critici & in iis præstantissimus magister) gaudere fabulis, dein revocet in memoriam quod in Phædone dicit Socrates, ἔς περ χείρως εἶχον καὶ ἠπιαίμωλον μύθος τῆς Αἰσώπου, τῶν ἐποίησα οἷς πρῶτοις ἐπέτυχον: Reputetque apud sese, num contemnendus videatur Phædrus, qui ea Latine præstiterit, quæ olim Græce tentaverat Socrates.

VITA PHÆDRI

A

JOH. SCHEFFERO

Argentoratensi Composita.

PHædrus, cujus pauci meminerunt apud veteres, si non ante, sub Augusto saltem natus fuit. Virgilium profecto ac Ovidium est æmulatus, qui utrique sub Augusto florere. Quin imo Augusti mentionem facit ipse, tanquam ejus sub quo vixerit, cujusque gesta quædam observarit. Nam cum Lib. III. c. 10. præmisisset: *narrabo tibi, memoria quod factum est mea*, subdit: *à Divo Augusto tunc petiere iudices*. Patriam habuit Thraciam, ut ipse indicat Præfat. Lib. III. his verbis.

Cur somno inertis deseram patriæ decus?

Threissa cum gens numerat auctores suos,

Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.

Sed hoc alij; amplius observatione dignum, quod in monte Pierio videatur editus, quem antiqui sedem atque domicilium Musarum credidere.

credidere. Ita namque, dicto loco:

Ego, quem Pierio mater enixa est jago,

In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi

Fœcunda novies artium peperit chorum.

Vides simul, in hoc monte Musas genitas putasse olim. Unde quoque nata est opinio, quod ibi commorentur. Strabo Lib. X. *A cantilena & numeris, & instrumentis, & Thracica omnis Musica, & Asiatica fit magni. Quod ex eo liquet, quia ibi loca sunt, in quibus velut sedibus suis Musæ esse dicuntur. Nam Pieria, Pimpla, Libethrum olim Thraciæ fuere montes regionesque. Sic hunc locum verto, quem obscurius non nihil Causa bonus reddidisse videtur. Jam quia Musæ artium omnium ac literarum deæ, post superius allata verba Phædrus subjecit, *natum se in ipsa prope schola.* Parentes quos habuerit, haud constat. Saltem quoniam in Thracia editus, Thrax ipse fuit, minime servilis extitisse conditionis credi possunt, ac sic casu potius, quam nascendi forte, factus esse servus, neque cum P. Pithæo, libertinum Augusti, sed libertum appellari oportere. Cæterum quis ille casus fuerit, nemini est promptum dicere. Nisi fors quis divinare velit ex Suetonio, quando de Octavij Augusti patre scribit cap. 3. *Bessos ac Thracas magno prælio fudisse.* Potuit nimirum evenisse tum, ut cum aliis captivus Romam duceretur. Quod si quis admittit, primam Phædri se extendere ætatem etiam ad Julium necesse*

xI VITA PHÆDRI

est, quando memoratum bellum gestum eo tempore, quo Cæsar solus gessit consulatum, atque Q. Cicero Asiam administravit. Nec fortasse multum obstat huic sententiæ, cum præsertim senectutis suæ passim Phædrus ipse mentionem faciat temporibus Sejani. Ingenium videtur habuisse probitatis atque honestatis amans, ostenduntque tot egregiæ sententiæ, quæ in hoc opusculo occurrunt. Quinimo & alios juxta secum ad virtutis cultum incitare studuit, ut palam in Præfat. Lib. II. ostendit. Pertinet huc quoque, quod eodem libro habet de ardelionum natione, multo labore nil agente :

Hanc emendare, si tamen possum, volo.

Nec interea morosus fuisse credi potest, sed jucundus, hilarisque, ut potissimum ex Lib. IV. cap. 13. & 14. item cap. 16. liquet. Opes & pecunias alto generosoque animo contempnit semper, ut de se testatur ipse Lib. III. Præf. ubi *curam habendi penitus corde erasisse* scribit. Maxime vero hoc egit, cum videret, quam multis exitiales essent suo tempore pecuniæ. Id quod innuit lib. 5. fab. 4. ubi ait, post allatam fabulam de asino, detrectante hordei comedere reliquias, quo saginatus porcus, Herculi deinde immolatus fuit :

Hujus respectu fabulæ deterritus

Periculosum semper vitæ lucrum.

Et profecto tunc opulentissimum quemque à Tiberio variis criminationibus circumveniri solitum

solitum, non ipse modo docet in sequentibus, sed & exemplis à *Suetonio* cap. 19. & *Tacito* VI. An. c.19. aliisque locis allatis comprobatur. Quemadmodum vero negligens fuit opum, ita ex adverso gloriam sectatus est, eam maxime, quæ est ex literis doctrinaque. Ideo & de obtenta ea tantum non triumphat, in *Præf. Lib. III.* ubi ait :

*Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam mihi solennis debetur gloria.*

Sic ab initio *Lib. V.* *mibi parta laus est.* Quin imo tam præclare de se sentit, ut & aliis famam nominis ac immortalitatem dare posse scriptis crediderit. Inde ad *Particulonem lib. V.*

Particulo chartis nomen victurum meis.

Litteras autem ipsas magno animi ardore est aggressus, & in illis eam partem maxime quæ poësis appellatur. Liquet vel ex eo, quia puerum se etiam tractasse Ennium fatetur, & ex eo versum citat. *Lib. IV.* circa finem, ubi Ennium intelligit, cum ait :

*Ego quondam legi quam puer sententiam ;
Palam mutire plebeio piaculum est ;*

Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

Atque hinc fortasse factum, ut *Æsopi* fabulas versu potius, quam oratione prosa comprehenderet ; de quibus amplius nunc aliquid dicendum. Scripsisse eas in ætate ultima ipse innuit non uno loco, pertinetque huc potissimum postrema, quæ in libro quinto est, fabella. Quin & tempus potest colligi quodammodo

dammodo ex libri tertij proœmio, quo videlicet Sejanus pro arbitrio cuncta gessit sub Tiberio, suamque latissime potentiam exercuit. Ubi simul etiam causa scripti hujus aperitur. Calamitas nimirum certa & peculiaris, in quam odio & persecutione Sejani præcipitatus, fortunam, quia non licebat aperte, ob potentem adversarium, occulte saltem, & sub involucris fabularum exponere, depingendoque mores ejus & flagitia, velut ultionem sumere de ipso, seque consolari sic suscepit. Ita enim est intelligendus locus totus qui occurrit in prædicto proœmio.

———*Servitus obnoxia*

*Quia, quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocos :
Ego porro illius semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat ;
In calamitatem deligens quædam meam.*

Secutus in plerisque est Æsopum, nisi quod interdum etiam historias admisceat, ut ex Lib. III. cap. 10. & Lib. V. c. 1. intelligitur. Sed & ex illis ipsis Æsopi, non omnino omnes verum cum delectu eas saltem scribere suscepit, quæ servirent instituto, id est, vel Sejanum tacite arguerent, vel calamitatem propriam declararent. Ita statim ab initio affert fabulam de lupo & agno, quorum ille Sejani, hic Phædri speciem exhibere debet. Igitur & sic concludit eam :

Hæc

*Hæc propter illos scripta est homines fabula
Qui fictis causis innocentes opprimunt.*

Quibus verbis manifeste sortem suam deplorat, & Sejani crudelitatem significat. Nec fortassis aliud quid altera respexit fabula, quam ut hydro ingenium Sejani, quodque ipse animabat veluti, Tiberij exprimeret, eique opponeret patientiam, humanitatem, bonitatem Augusti, sub quo primum vixerat. Sed & tertia quartaque manifestum continent augurium de futuro Sejani casu: quem haud secus ac graculum omnes ob factum intolerabilem olim essent deplumaturi. Quod si eveniet, similem vult futurum cani, qui dum captat alia, ea etiam, quæ possidet, amittat. Nec fefellit Phædrum ista præfagitio, uti ex historia Sejani manifestum est. Verum isthæc obiter, & tantum, ut ostendam causas & occasiones harum fabularum. Quas intelliget etiam in cæteris, qui conferre ista tempora cum iis volet. Nam cohærent inter se pulcherrime, hocque sine sunt ab eo selectæ, sicut ipse Lib. III. cap. 12. & IV. in proœmio indigitat. Scripsit porro has fabellas stylo longe optimo ac Latinissimo, ut plerique docti tradiderunt, quod ex testimoniis ipsorum alibi propositis apparet. Nam quod Schoppius in eo nescio quid barbari ac Thracici subodoratur, id plane est ejusmodi, quale ejus, qui in *Tito Livio* deprehendit Patavinitatem. Itaque hucusque nemini ex doctioribus suam ap-

approbare potuit sententiam, nec credo unquam approbabit. Nos, qui & ipsi semel iterumque, ac cum cura Nostrum legimus, adeo nil invenimus istiusmodi, ut in plerisque *Virgilium*, in cæteris *Plautum*, *Terentium*, *Ovidium* imitatum esse opinemur, nec fallacibus argumentis exemplisque in *notis* nostris demonstremus. Denique ipse longe aliter, quam *Schoppius* de his ad Particulonem,

—— *Chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris.*

Quasi diceret, se ita scripsisse has fabellas, ut si modo ullum pretium manebit sermonis Latini, propter eum in auctoritate ac existimatione sint futurae. Nec ipsius solum fuit hoc iudicium, sed Particulonis etiam, & aliorum, quippe qui & verba formulasque ejus ex libellis hisce ediscebant, scriptisque inferebant suis. Noster manifesta in Præf. V.

*Mibi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicetis memoria.*

Quanquam autem tanti fuerint æstimati hi libelli, vivo etiam adhuc auctore, tamen non magis ipsi, quam vulgo solent aliorum, evitare invidiam potuerunt. Alij habere quædam fatebantur bona, sed ea ex Æsopo mutuo accepta, cætera ut excogitata sint à Phædro, ita mala esse ac inepta. Vide cap. 20. Lib. IV. Alij cum nil possent aliud, brevitatem & obscuritatem earum accusabant. Indicat id ipse Lib. III. cap. 10. ubi ait: *Hæc*

Hæc exsecutus sum propterea pluribus,

Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

Erant &, qui argumenti vilitatem, & humilitatem styli ac orationis arguerunt, sicuti ex Lib. III. cap. 6. toto intelligitur. Denique qui nil horum audebant, vindicabant sibi, quod inventum erat à Phædro, invidia gloriæ alienæ. Hoc enim voluit toto cap. 13. lib. III. ut vel ex conclusione ejus liquet. Libellum primum, & secundum edidit sine dedicatione, cum nuda Præfatione ad Lectorem qualemcunque, eam secutus causam, quam in præcedentibus prodidimus. Invenerunt statim amatores, interque alios Eutychem: cui propterea, & quoniam ad supplicium tractus fuit interim Sejanus, libellum tertium, & quemadmodum conjicio, quartum: itemque Particulonem, cui libellum quintum dedicavit. Eutychem vero ille ac Particulo qui fuerint, haud facile est dicere. Facit ipse noster alterum gravibus crebrisque negotiis occupatum, & potentem. Itaque & opem ejus contra æmulos ac inimicos, potissimum vero calamitatem, in quam innocens invidia Sejanii venerat, implorat. Ac fortasse fuit quispiam ex libertis in Tiberiana aula, nam in talem convenit potissimum sermonis peregrini nomen. Fortuna Phædri reliqua quæ fuerit, nonnihil patet ex superioribus. Primum in ætate puerili captus, Romamque ex Thracia deportatus, ibique ab hero suo, quocunque denique,

denique, ad consuetudinem illorum temporum, litteris imbutus fuisse videtur. In quibus cum non parum profecisset accidit forte, ut in domum Augusti, vehementer doctos homines amanti, vocaretur. Ubi cum probasset suam fidem, elegantiam ingenij, morum probitatem, paulo post manumissus ac libertate donatus est. Id quod indicat vel titulus opusculi, in quo LIBERTI CÆSAR. AUGUSTI nominatur. Quem qui de Tiberio accipiunt, ut fit à Demstero, & nonnullis aliis, mihi equidem haud satisfaciunt. Et mecum sentiunt ex eruditis plurimi, quos inter est Septimius Florens quoque. Mox Augusto defuncto, & Tiberio imperium administrante incidit in calamitatem magnam, nulla sua culpa sicut aliquoties testatur, verum odio Sejani, qui eum fictis criminibus accusaverat juxta, & ut fuit potentissimus, damnari fecerat. Ita enim docent verba ejus, quæ leguntur in Præfat. Lib. III. Nec fortassis tam obscuri tituli sunt criminationi ejus, ut videntur, si bene reputamus, quod versatus fuerit in domo Augusti, ab ipso clementer habitus, in libertatem restitutus. Id enim absque dubio fuit causa, cur Augustum primo, & mox eo defuncto posteros illius amaret coleretque. Quos inter cum extiterit primum Agrippa, & deinde Germanicus, non potuit profecto deesse ratio Sejano criminandi nostrum apud invidentem atque suspicacem
princi-

à JO. SCHEF. CONSCRIPTA. xlvii

principem Tiberium. Tulit autem hanc calamitatem magno animo, & remedium adversus eam petiit ex litteris. Nec defuerunt amici, qui eum solarentur, & promitterent suam opem. Inter quos Eutyclus præcipue, quem propterea ad solvenda promissa sine Lib. IV. sedulo adhortatur. Quando diem suum obierit, ignotum est. Saltem post Sejanum vixit, quod apparet ex iis, quæ de ipso tradit. Nec enim verisimile, fuisse scripturum vivo Sejano talia, cum & post obitum illius extiterint, qui hominem metuerent. Periit porro Sejanus anno Tiberij decimo octavo, à quo ad consulatum Julij solitarium, quo Romam venisse Noster videtur, anni circiter sunt septuaginta, ut septuagesimum superasse annum ætate sua sit necesse, ac propterea nec videri possit mirum, totiens de senectute sua conqueri.

D E

D E
 ÆTATE PHÆDRI
 E X

Gerar. Vossio de Poëtis Latinis.

SUB Tiberio vixit Phædrus Thrax, Augusti Caesaris libertus, ut qui se Augustum dicat vidisse jus dicentem, & Bathyllum Cilnij Mæcenatis saltantem. Reliquit quinque libros fabularum Æsopicarum, jambicis conscriptos. Antiquissimus, qui earum meminit, est Avienus, Prefatione in Fabulas Æsopicas ad Theodosium Macrobius. Nec mirum adeo non meminisse Senecam, ubi loquitur de Fabularum Æsopicarum scriptoribus. Nam de Romanis loquitur: hic se Thracem prædicat.

JUDICIA

Judicia & Testimonia

D E

P H Æ D R O.

Phædrus ipse de se lib. V. 6, 42.

— chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit precium litteris.

Particulo, aliique, de quibus Phædrus præf. V.
Vestras in chartas verba transfertis mea.

Martialis III. Epig. 20. de Canio.

An æmulatur improbi jocos Phædri?

Avienus in præfat. fabularum suarum.

Phædrus etiam partem aliquam quinque in
libellos resolvit.

*Septi. Florens Christianus, in Carm. ad
Pithæum de Phædro loquens.*

— de stylo atque tempore,
Par proximusve Laberio vel Publico.

Rittershusius in epist. dedicatória Phædri.
Fabellas continet opusculum expositas ser-
mone Latino & puro atque genuino, in quo
multas antiquæ elegantia notas impressas cer-
nere est, multas legere sententias, ad quælibet
vitæ partes utilissimas.

E *Idem*

I JUDICIA & TESTIMONIA

Idem in Epist. ad Camerarium, ubi & de Camerarii Bongarsique judicio, hoc modo.

De hoc libello idem ego tecum, & cum politissimo viro, Jacobo Bongarsio sentio, elegantem esse cum primis, & florente etiam, ac pura lingua Latina scriptum, ac supparem esse judicio hunc Phædrum Laberio ac Publio Syro Mimographo.

Lipsius ad Senec. Consol. Polyb. c. 27.

Phædrus, Tiberii Libertus, jam condiderat (logos Æsopi) & pulcherrimis versibus Latinos fecerat, qui extant.

Rigaltius in dedic. ad Thuanum.

Hæc ratio fabulares liberti jocos, vernula urbanitate amabiles argutias, placere tibi posse persuasit.

Idem paulo post.

Habe igitur imperatorium libertum, quem inter rusticandum suaviter fabulantem, imo graviter, & quidem paucis philosophantem admireris.

Laur. Pignorius epist. 13.

Etiam ego venire possim in litterarum plausum, velut loquitur elegantissimus fabulator *Phædrus*.

Bartbius XXXV. Adver. c. 21.

De *Phædri* fabulis ita judicant doctorum plerique, esse ingenuæ Latinitatis, neque mentiri ævum Tiberii. In quorum ego prorsus opinione sum, licet unam & alteram subdititiam & infititiam esse jam olim notarim.

Schot-

Schottus Observ. Humanar. II. c. 19.

Adjicio, pereruditos extitisse libertos Tiberii Phædrum, Æsopiarum lepidum scriptorem.

Schoppius in Paradox. litter.

Similiter apud Phædrum, cultissimum fabularum scriptorem legimus.

Idem in Infamia Famiani. p. 86.

Eum tamen scriptorem (Phædrum) velut domo barbarum, & sermone non parum sæpe plebeium non nisi cum discrimine ac delectu imitandum intelligo.

Idem in Consultatione II.

Phædrum tamen & Hyginum velut elegantiam minus studiosos plebeia plusculum usurpasse apparet.

Demsterus ad Rosinum.

Phædrus Thrax, Tiberii libertus, fabularum luculentus scriptor.

Tanaquillus Faber. in Præf. ad Notas Phædr.

De dicendi genere si roges, quid sentiam, dicam equidem, & quasi me censor rogaret, ex animi sententia; Neminem arbitror à felici illa Terentii simplicitate propius abesse; & mox: Nemo è veteribus ingenio fuisse videtur ad illam Terentii semper lenitatem magis factò, quam Phædrus; quod & necesse fuerat, ea enim est apologorum, atque adeo fabellarum omnium natura, ut sermone non debeant, nisi facili placidoque tractari.

lii JUDICIA & TESTIMONIA

Multorum aliorum judicia collegit eruditissimus Axenius, quæ videre apud ipsum potes. Adde unicum, nimis discrepans à cæteris, sed tamen dignum legi, ut liqueat, nil tam bene dici, ut non inveniatur adversarium.


*Scriviens ad III. Ep. Martialis. 20. ubi poëta :
An emulatur improbi jocos Phædri.*

Possuntne magis decoquere de judicio, ac magis ludere de otio suo viri docti, qui existimant, fabulatorem Phædrum à Cl. Pithæo editum, & cujus Avienus quidam in præfatione fabularum suarum Æsopiarum ad Theodosium meminit, hunc eundem esse, de quo loquitur Martialis? Volunt nos credere scilicet, Libertum illum Augusti Cesaris fuisse, stylo atque tempore parem proximumve Laberio vel Publio Mimo, & quidem, quantum conjiciunt, sub Tiberio vixisse, atque ideo post Sejanum damnatum. Nugæ. Certe, nisi vehementer fallor, ævo illo dignus censeferi minime potest scriptor iste, cuicui tandem ille alapas & libertatem debeat. Parco argumenta figillatim apponere, quæ me movent, & cogunt seorsum sentire, fœtumque alienissimum pronunciare impellunt à jocis Phædri, cujus hic Martialis meminit. Ostendam fortasse alias plene, ubi otium erit, & animus istæc frivola pertractandi. Interim
con-

confidera mihi, quæ olim *Perottus*, *Pontifex Sepontinus* in Commentariis suis ad librum I. *Martialis* consignavit ad hunc locum: *Quid possunt hederæ Bacchi dare, &c.* Allufit, inquit, ad fabulam, quam nos ex *Avieno* in Fabellas nostras adolescentes jambico carmine transtulimus.

Olim quas vellent esse in tutela sua:
& quæ sequuntur tibi totis duodecim versibus & finiunt,

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
quæ ipfissima *Phædri* illius sunt à *Pitheo* primum, & post à *Rittershusio*, *Rigaltio* atque aliis editi, notisque & scholiis illustrati. Extant lib. III. fab. 18.



PHÆDRI
Augusti Cæsaris Liberti
FABULARUM ÆSOPIARUM.
LIBRI QUINQUE.

LIBER I.

PROLOGUS.

ÆSOPUS auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libellis os est : quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

ÆSOPUS] Ordo verborum. Ego polivi materiam, quam
Æsopus reperit auctor, i. e. primus. Sch. *Materiam*] Tra-
ductum ex artificum officinis. Materia est quidvis rude, & ab
artifice etiam integrum. *Polivi*] Exegi. absolvi. *Sen.*]
Jambicks, sex pedum, sed numeris liberioribus. *Libellis*] Ita
editio

2 PHÆDRI FABULARUM.

editio prima Rigaltii. Unde Gronovius *fabellis* legendum con-
jecit, quia *libellis* non bene dicitur pro *huic libello*, nec si de qui-
busvis libris sumas, verum est. Mihi tamen placet *istud libellis*,
quia ipsi placuit Phædro Prolog. l. 3. Phædri libellos legere si
desideres, &c. adi indicem, satis patebit. Os] Alii libri
Mos, alii *dos*. Heinsius *los* pro laus: at optimè se habet, quam
exhibemus lectionem. Fabulæ, inquit, duplicem habent fa-
ciem sive personam, alteram, quæ ridicula apparet, alteram,
quæ sapere docet. Gronov. *Vitam*] Sc. humanam. Virg.
Æn. 6. — *vitam excoluere per artes.* Monet] Dirigit.
Calumn.] Interpretatione malitiosa traducere. *Arbores*] Nul-
læ hîc arbores loquuntur. Rectè itaque Rigaltius judicavit mul-
ta Phædri intercidi se. Et post eum Heinsius, quod ipsum Gu-
dius (allatâ fabulâ arborum inter se loquentium ex veteri co-
dice) extra controversiam probavit. *Fictis*] Propriè quia
fabula, à fando dicta est narratio rei cujuscunque etiam veræ.
Cicero alicubi fabula Trojæ pro Historia & rebus gestis eo loco.
Et de fin. l. 5. Quid? cum fictas fabulas, è quibus utilitas nulla
duci potest, cum voluptate legimus. Rittershutius. Faber. Schef-
ferus. *Focari*] Jocos Phædri dixit Martialis. Ipse Phæ-
drus, l. 3. calumniamque fictis eluit jocis, &c. Rigal.

F A B U L A I.

Facile est opprimere innocentem.

L U P U S & A G N U S.

AD rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longèque inferior Agnus. Tunc fauce improbâ
Latro incitatus jurgii causam intulit.

L. Cur, inquit, *turbulentam mihi fecisti aquam* 5
Istam bibenti? Laniger contrà timens:

A. *Quî possum, queso, facere, quod quereris, Lupe?*
A te decurrit ad meos haustus liquor.

Repulsus ille veritatis viribus,

L. Ante

L. *Ante hos sex menses at maledixisti mihi.* 10

Respondit Agnus : *Equidem natus non eram.*

L. *Pater herculè tuus, inquit, maledixit mihi.*

Atque ita correptum lacerat injustâ nece.

Hæc propter illos scripta est homines fabula,

Qui fictis causis innocentes opprimunt. 15

Compulsi] Simul pulsi. *Super*] Propior ad fontem. *Longe*] Vim habet emphaticam. *Fauce improbâ*] Acri fame, vel ingluvie malum suadente, Anglicè, *ungodly* *Out*: cur Pithaus & Rigaltius *face* præferant, nullus equidem video. *Latro*] Lupus, quia ex rapto vivit. *Causam*] Hic valet *prætextum*. Malè aliter interpretes, *jurgii causam* pro *jurgium* poni volunt. *Intulit*] Nullâ oblatâ injuriâ prior intulit. *Istam*] Sic Vett. Lib. at Schefferus *aquam* rejicit, ut Glossema, & *mibi* postponit *quæ* fecisti. Atqui vetus mihi quidem arridet lectio, idque ob causam, ut opinor, non levem: quia per *istam* lupus monstrat quasi digito aquam superiorem; jam enim ad agnum descenderat. Particula quoque *ista* viam munit ad diluendam Lupi calumniam; si enim superius turbulenta fuit, unde facta est inferius limpida. *Mihi-bib.*] Mihi saltem, dum bibo. *Laniger.*] Agnus, quod lanam gerat. Id genus multa passim apud Phædrum occurrunt. *Timens*] Subaud. *dixit*. *Meos haus.*] Me bibentem. *Liquor*] Aqua adhuc pellucida. Ut Fab. 13. l. 1. eò enim fortiùs Lupi calumniam arguit & diluit. *Hos*] Particula Latinissima tempus proximè elapsum innuens. Schef. *At*] Sic Scheff. cæteri omnes *ait*. Gudius, *malè, ait, dixisti mihi*. Nec tamen muto. Nam *at* propria objicienti vox est, amatque Phædrus *omittere, ait, inquit, &c.* *Equidem*] Ego quidem, quod ad me. *Pater herculè*] Urfinus sic hunc versum constituit, ut & Anonymus lib. Gudii. *Pater tuus, inquit, hercule maledixit mihi.* *Injustâ nece*] Ita ut nex sequatur, eaque injusta. *Fictis cau.*] Subaud. *de*. Livii L. 1. S. 57. *oblato falso crimine infontem oppressit.*

4 PHÆDRI FABULARUM

F A B. II.

Minima de Malis.

RANÆ REGEM POSTULANTES.

ATHENÆ quum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit,
Frænumque solvit pristinum Licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus. 5
Quum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omnino insuetis onus, & cœpissent queri,
Æsopus talem tum fabellam retrulit.
Ranæ vagantes liberis paludibus, 10
Clamore magno Regem petière à Jove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Patesc Deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadis
Motu sonoque terruit pavidum genus. 15
Hoc mersum limo cum jaceret diutiùs,
Fortè una tacitè profert è stagno caput,
Et, explorato rege, cunctas evocat.
Illæ timore posito certatim adnatant,
Lignumque supra turba petulans infilit : 20
Quod quum inquinassent omni contumeliâ,
Alium rogantes regem misère ad Jovem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere cœpit singulas : frustra necem 25
Fugitant inertes : vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem

Ad-

Adflctis ut succurrat. Tunc contra Deus,
Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, ô cives, ait, 30
 Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

Æquis] In respectu ad cives, quos æquales faciebant. Sch.
 Græcum *ισονομία* exprimere voluit. *Procare*] *Petax.* nam
procare est petere. *craving.* *Civitatem miscuit*] Civium or-
 dines turbavit. *Πολιτείαν.* *Licen.*] Nominativus casus. *Hinc*] *Hic.* v. cod. *Conspiratis*] Gronovius. Conspiratæ factionis.
 Schefferus, *conspiratis* activè pro conspirantibus. at *σπείρα.*
 unde hoc verbum deducitur, significat militum τάγμα; quidni
 igitur *conspiratis* idem sit quod, catervatim aggregatis. **banden**
together. *Tyrannus*] ut Rex. *Occupat arcem*] Ad domina-
 tionem tibi firmandam in civitate liberâ Sch. *omino onus*] *omino*
 Quodlibet vel levissimum onus. nisi τὸ *Insuetis* junctum na-
 velis. *Petiére*] Vett. *petierunt.* metricis legibus invitis.
Vi] Bono sensu, pro potestate. *Authority.* Cod. *Pithæanus.* *U.*
Parvum] Non insolens apud Auctores *μείων.* Terent. pisci-
 culos minutos. Subtristis aliquantulum. & passim. *Vadis*] *Vadis*
 Pendet ex *missum* pro *immissum.* at *Vadi,* quod Cod. *Rementis*
 habet, impensè placet. sequitur autem *motu sonoque.* *Pavidum*] *Pavidum*
 Metu, scilicet. *pavidus* est enim, cui cor palpitat. *Feceret*] *Feceret*
 Solenne verbum, de mortuis, vel graviter afflctis & for-
 tunæ succumbentibus, vel denique vilibus & nullius pretii.
Explor.] Rege, qualis sit, per illam, quasi per exploratorem,
 cognito. *Evocat*] è stagno vocat. *Lignum*] Eleganter.
 ut ostendat quàm contemptus fuerit ille Rex. Sch. *Inquina-*
sent] Conspurcassent, concacassent. sensu primævo. nam in-
 quino ab *ἴν* & *κοινός* deducitur. *Rogan*] Alii *rogantes* accu-
 sativi casus esse purant, & pendere à verbo *misere*; alii autem
 nominativi. quod præstat. *Misere* autem simpliciter pro lega-
 tos *misere.* *Singulas*] Alias post alias. Faber. *Fugitant*] *Fugitant*
 Huc illuc trepidæ fugiunt. *scuttle,* Anglicè. *Inertes*] ἀμύ-
 ρανοι. Consilii prorsus expertes. *Furtim*] Occultè, ne Hy-
 drus certior factus in eas ut cupidus rerum novarum animadver-
 teret. *Mercurio ad forem*] Sic Ovid. *Ad fratrem* mandata
 dabat, *Cuique* illa dabantur, &c. *Perferte*] Hoc est, porro
 ferte. *Ait*] *Æsopus* nempe. *Veniat*] *Heinſius.* eveniat.

6 PHÆDRI FABULARUM

FAB. III.

In propria pelle quiesce.

GRACULUS SUPERBUS.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potiùs habitu vitam degere,
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbiâ,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, sustulit, 5
Séque exornavit : deinde contemnens suos,
Immiscuit se pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Malè multatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus. 10
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis quos priùs despexerat :
*Gr. Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et quod natura dederat voluisses pati :
Nec illam expertus esses contumeliam, 15
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.*

Ne Glor.] Ordo Verborum hic est. Æsopus proposuit nobis hoc exemplum, ne *cui* libeat gloriari alienis bonis, & *ut* potiùs libeat degere vitam suo *quemque* habitu. *Habitu]* Eleganter. in respectu ad vestimenti ascititii cultum. Sch. *Prodidit]* Proposuit. Do enim cum compositis significat Pono. id quod accuratiori observatione cuiusvis satis patebit. Condo enim idem quod compono, Vendo, venale propono, &c. non enim libet evagari. *Immisc.]* Claudicat Versus. Hinc variae conjecturæ natæ sunt. Schop. *pavum* legit. Buchnerus *se* tollendum iudicat. Heinsius locat *se* ante *immiscuit*. Guietus, *formoso immiscuit se*, &c. *Fugant]* Figunt, Heinsius. *Multa]* Malè. *mulcatus*. Codex Remensis. *Mulcare* elegans & antiquum verbum

bum est. Gloss. Isid. *mulcat. percutit.* Gudius. *Nec hanc repulsam*] Nec tua calamitas, i. e. tu calamitosus, male habitus, & contumeliis laceratus sensisses, ut nunc sentis, hanc à nobis repulsam.

F A B. IV.

Avidum sua sæpe deludit aviditas.

CANIS NATANS.

A Mittit meritò proprium, qui alienum appetit.
 Canis per flumen carnem dum ferret natans,
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
 Aliámque prædam ab alio ferri putans,
 Eripere voluit: verum decepta aviditas, 5
 Et, quem tenebat, ore demisit cibum;
 Nec, quem petebat, potuit adeò attingere.

Appetit] Avidè fertur in. *snaps at.* A *πίρω* volo, & cado. unde compositorum sensus facillimè explicatur. Vid. Perizonium ad Sanctii Minervam, p. 437. de hoc verbo accuratissimè differentem. *Per flumen*] Quo faciliùs persequentes eluderet. *Lympharum*] Idem quod alibi simplicius expressit, & *in liquore vidit*, &c. forsan itaque *Nympharum*. *Prædam*] Elementum ultimum hîc non eliditur ut notavit Barthius. *Aviditas*] Frequens hoc Phædro loquendi genus. Fab. 4. Calamitas. 6. Improbitas. 9. colli longitudinem, avidus canis deceptus. *Ore*] Pender à *de* in verbo *demisit*. *Potuit adeò*] Olim *adeò potuit*. *Quietus sentit & versum restituit.* Nec *adeò*, nedum, multò minùs, adeo non.

8 PHÆDRI FABULARUM

F A B. V.

Potentioris societatem fuge.

VACCA, CAPELLA, OVIS, & LEO.

NUnquam est fidelis cum potente societas.
Testatur hæc fabella propositum meum.

Vacca & Capella, & patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in saltibus.

Hi quum cepissent Cervum vasti corporis, 5
Sic est locutus, partibus factis, Leo :

Ego primam tollo, nominor quia Leo :

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi :

Tum quia plus valeo, me sequetur tertia :

Malo adficietur si quis quartam tetigerit. 10

Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Societas] Partnership. Anglicè. *Propositum]* Propositionem. Sententiam præmissam intelligit. *Socii]* Nihil mihi, ut verum fatear, absurdius videtur, quam Leonem hisce comitibus venatum exire, tam ineptis operi animalibus. Neque enim Apologi omnem respuunt probabilitatem. Sed de hac re plura forte, si vacat, dicenda. *Quia]* Observandum est ultimam syllabam in *quia* & corripit & produci in hoc & sequenti versu, Gadius verò ultimam in *quia* produci posse negat, ideoque aliquid hoc loco excidisse putat, vel monosyllabum *Rex* post *nominor*, vel *Creon* loco *Leo* legendum, quod idem sonat ac *Rex*. viderint docti. *Plus valeo]* Viribus corporis. *Sequitur]* Sponte deveniet ad me. *improb.]* Iniqua Vis, nullis legibus se continens.

F A B. VI.

Improborum improba soboles.

RANÆ ad SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias
 Æsopus, & continuò narrare incipit.
 ¶ Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,
 Clamorem Ranæ sustulère ad sidera.
 Convicio permotus quærit Jupiter
 Causam querelæ : quædam tum stagni incola
 Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
 Cogitque miseræ aridâ sede emori :
 Quidnam futurum est, si crearit liberos ?

Celebres] Cætu hominum qui aderant. Nam *celebres* significat *celebratas* & *frequentatas*. *Convicio*] τῆ καταβολῆ. *convicium* enim à con & vox quasi convocium. *Conjunctio* & *collatio* vocum. *Labeo* Ovid. *Metam.* l. 6. de Ranis. dilatant patulos *convicia* rictus, & alibi. *Schef.* *Stagni incola*] i. e. Rana, quæ stagnum incolit. *Nunc*] ut res nunc sunt. *Unus*] S. l. unus cum sit. *Emori*] Sic ut nulla reliqua maneat. *Schef.* *Miseræ*] Nos. subaud.

FAB.

F A B. VII.

Stultorum honor inglorius.

VULPES ad PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM tragicam fortè vulpes viderat :

O *quanta species*, inquit, *cerebrum non habet!*

¶ Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Personam] Machinam, qua velabant faciem Tragici actores:
vulgò *larvam* appellamus. *Quanta*] Quàm angusta, &
venerabilis! *Communem*] Qualem ferè de rebus homines
habere solent, quo qui destituti sunt, stupidi vocantur. Schef.

F A B. VIII.

Malos tueri haud rutum.

L U P U S & G R U S.

QUI pretium meriti ab improbis desiderat

Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat:
Impunè abire deinde quia jam non potest.

¶ Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit singulos

Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.

Tandem persuasa est jurejurando Gruis;

Gulæque credens colli longitudinem,

Periculosam fecit medicinam Lupo.

Pro quo quum pactum flagitaret præmium: 10

L. Ingrata

L. *Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.*

Meriti.] Benemeriti. beneficii. *Deinde]* Secundò. *Fam]* Cum adjuverit. *Non potest]* Non fatis habet. Horatius. Si potes Archaicis conviva recumbere lectis. i. e. si potes in animum inducere. *Devoratum]* Inter devorandum, vel aliquatenus devoratum. *Gruis]* Antiquè pro Grus, ut *mentis, pedis* & similia. Rittershufius. *Credens]* Committens, inferens, *venturing.* *Periculosam]* Sibi nempe. *Pactum]* MS. Rementis *factum*, scribe *pactum*, Val. Maxim. l. 4. c. 3. *pactumque victoria præmium flagitantibus.* &c. Gudius. Optima lectio, & contextu, unde exciderat, digna. *Postulas]* Mallet Ritterf. & Faber *postules*, ob præcedens *abstuleris*.

F A B. IX.

Ne insultes miseris.

PASSER & LEPUS.

Sibi non cavere & aliis consilium dare
Stultum esse paucis ostendamus versibus.

¶ Oppressum ab Aquila fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer. *Ubi pernicitas*
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes? 5
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.

Lepus semianimus mortis in solatio :

L. *Qui modò securus nostra inridebas mala,
Simili querelâ fata deploras tua.*

10

Sibi non cavere, & aliis consilium dare] Hæc verba vice Accusativi ponuntur ante *esse* & Substantivi ad *stultum*. *Quid ita cessarunt.]* Ob quid ita tardi & pigri facti sunt. Fab. *Nec opinum]* Nec hoc loco non est. *inopinum*, nihil tale somniantem. *Solatio]* Meursius & Faber mutant in *Solacium*, ut sit dictum, sicuti in *Spem in contumeliam*. at Gronovius non pati-

12 PHÆDRI FABULARUM.

tur hoc corrigi; est enim: Lepus accepto in mediâ morte solatio mortis, vel cum ei adhuc semivivo hoc levamentum sui mali offerretur (nempe, quod derisorem suum videbat ante oculos interfici) dixit nempe, quæ sequuntur. Heinſius conjicit, *mortis en Solatia!* ut sint verba leporis. ingeniosè. *Securus*] Curâ vacuus.

F A B. X.

Mendaci ne verum quidem dicenti creditur.

LUPUS & VULPES JUDICE SIMIO.

QUicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Æsopi fabula.

¶ Lupus arguebat Vulpem furti crimine,
Negabat illa se esse culpæ proximam. 5

Tunc iudex inter illos sedit Simius.

Uterque causam cùm perorassent suam,

Dixisse fertur Simius sententiam :

Tu non videris perdidisse quod petis :

Te credo subripuisse quod pulchrè negas. 10

Arguebat Vulpem furti crimine] Accusabat Vulpem furti. *Proximam*] Propinquam, affinem culpæ. Mallet quidè Heinſius *obnoxiam*. non tamen satisfacit. *Proximam* autè Substantivè ponitur ut *affinem*, regitque genitivum *culpæ*. mens autem loci hæc est. illa dicebat se à culpâ longissimè abesse. ut enim à culpâ abesse dicitur, cur non & *culpæ proximus* dicatur? Est autem *μείων*. *Perorassent*] Ad finem deduxissent oratione. Schef. *Videris*] Solenne verbum iudicum sententiam dicentium. ut & *dixisse*. Schef. *Subrip.*] Heinſius maluit *Surripuisse*, Catulli exemplo, ut mirior sit numerus. *Pulchre*] Speciose, smoothly.

FAB. XI.

Ridicula in imbelle virtutis ostentatio.

ASINUS & LEO VENANTES.

Virtutis expers verbis jactans gloriam,
Ignoros fallit, notis est derisui.

¶ Venari Afello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul
Ut insuetâ voce terreret feras,

Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus

Clamorem subitum tollit totis viribus,

Novoque turbat bestias miraculo;

Quæ dum paventes, exitus notos petunt,

Leonis affliguntur horrendo impetu.

Qui postquam cæde fessus est, Asinum evocat,

Jubetque vocem premere: tunc ille insolens:

A. *Qualis videtur tibi opera hæc vocis meæ?*

L. *Insignis, inquit, sic ut nisi nosses tuum
Animum, genisque, simili fugissem metu.*

Virtutis] Fortitudinis. *Verbis jactans gloriam*] Jactans gloriosa verba. Schef. Mihi videtur *gloriam* eo sensu poni, quo *laudes* apud Poëtas, nimirum pro factis gloriosis. nullâ parte virtutis præditus gloriosa facta verbis ostentans fallit ignotos, &c. *Ignotos*] Qui eum non norunt. *Notis*] Qui norunt. Ovid. Pomæque non notis legit ab arboribus, i. e. istum fructum nunquam prius expertis. Barthius ita legit. Ignotus fallit, notus est derisui. codicibus tamèn invitis nihil mutandum cenfeo, ubi nulla cogit ratio. *Insuetâ*] Quatuor syllabarum est. *Ipsè exciperet*] Ipsè excepturus: addens quod ipse exciperet. Nam ut non videtur subaudiri, MS. tamen Remensis. *ut ipse exciperet.* Pithæi codex similiter. scribe, *fugientes vi ipse exciperet.* Gudius. *Auritulus*] Itâ Schedæ Reginae Christianæ. *Novo* *clamorem subito*] Ex iisdem Schedis. olim *clamore subito.*

14 PHÆDRI FABULARUM

Novo] Infolito. *Exitus*] Vias elabendi. abitus, Gratius. *Adfiguntur*] Non *afficiuntur*, quod nihili est. *adfiguntur* verò debetur codici Petri Danielis, & Seren. Christinae. Cæterum adfigi horrendo impetu sic dicitur ut primo impetu pelli. *affligi* enim est *allidi* terræ. Gronov. Observ. l. 4. c. 9. *Fessus est*] In MS. deest *est*. igitur *m* in *asinum* non est eligendum ut constet versus. vel legi potest *defessus*, absorptâ syllabâ *de* à præcedenti voce *cæde*. Gudius. *Evocat*] E latebris nempe. *Tibi opera hæc*] In MSS. abest vocula *hæc*. legendum itaque, *Qualis videtur opera tibi vocis meæ*. ita Salmasius ex Danielis chartulis. Gudius. *Insignis*] Opera videtur insignis. *Fug.*] Codex Dani. sic legit. optimè. Olim *fuissem* in metro reclamante. Quin & hoc lorgè elegantius. præcesserat enim *fugientes ipse exciperet, & exitus notas petunt*.

F A B. XII.

Utilissimum sæpè quod contemnitur,

CERVUS CORNIBUS IMPEDITUS.

Laudatis utiliora quæ contempseris
Sæpè inveniri, hæc exerit narratio.

¶ Ad fontem Cervus quum bibisset restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.

Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, 5

Crurúmque nimiam tenuitatem vituperat,

Venantúm subitò vocibus conterritus

Per campum fugere cœpit, & cursu levi

Canes elusit : silva tum excepit ferum,

In qua retentis impeditus cornibus 10

Lacerari cœpit morsibus sævis canum.

Tunc moriens, vocem hanc edidisse dicitur :

O me infelicem, qui nunc demum intelligo,

Ut illa mihi profuerint quæ despexeram,

Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint ! 15

Lauda-

Laudatis] Locus obscurior. Ordo verò verborum hic. Hæc narratio seu fabula exerit & ostendit ea, quæ contempseris, sæpe inveniri utiliora *Laudatis*, i. e. quàm ea quæ laudaveris. *Schedæ* *Christinæ* sic hos versus exhibent

*Sæpe esse utiliora, quæ tempseris,
Ejusce rei testis hæc narratio est.*

nec versus, nec sententia se mihi probant. *Liquore*] Aquâ pellucidâ. *Ramosa*] Virg. Arborea. Rami cornuum aculei sunt. Plin. 8. c. 32. — Singulis annis adjicientibus *ram s.* Schef. *Venan*] Pro *Venantium*, hoc est *Venatorum*. Participia sæpe transeunt in nomina Substantiva. *Elusit*] Eleganter, de flexibus implicitis quibus canes insequentes fallunt. Sch. *Ferum*] ἀπλῶς dicitur ferus, ut fera. pro equo & cervo apud Virgil. ut & apud Phædrum. pro apro & Leone apud eundem. *Vocem*] S. Chr. dedisse vocem hanc. malè. *Dum*] Sero nimis. *Ut illa*] Daniel. Utilia mihi quam fuerint. Sic & Sch. Chr. & fanè mihi videntur sequentibus melius accinere. *Habue.*] Secum portârint.

F A B. XIII.

Laudatore nihil infidiosus.

V U L P E S & C O R V U S.

QUI se laudari gaudent verbis subdolis
Serâ dant pœnas turpes pœnitiâ.

¶ Quum de fenestra Corvus raptum caseum

Comesse vellet celsâ residens arbore,

Hunc vidit Vulpes, deinde sic cœpit loqui: 5

O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!

Quantum decoris corpore & vultu geris?

Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

At ille stultus, dum vult vocem ostendere,

Emisit ore caseum, quem celeriter 10

Dolosa Vulpes avidis rapuit dentibus.

Tum demum ingemuit Corvi deceptus stupor.

16 PHÆDRI FABULARUM

Hâc re probatur quantum ingenium valet ;
Virtute semper prævalet sapientia.

Qui se] Sic Danielis codex. adeoque exprimendos curavi
hos versus, olim

*Qui se laudari gaudet verbis subdolis
Fere dat pœnas turpi pœnitentiâ.*

Subdolis] Speciosè ad fraudem compositis. *Fenestra*] De quo-
vis foramine in muro. Hesyc. θυρίς ὀμί μυχός. Heinlius, *cani-*
stro legit. Schef. *Residens*] Otium & desidiam corvi denotat,
securi jam nihilque metuentis. *O qui*] Cod. Voss. *O quis* ---
O pinnarum. paulò pòst, *decorem*. *O* autem pertinet ad *qui*,
quantus & quam admirabilis est splendor. *Deinde sic cœp.*] *Ità*
MSS. Wissenb. olim *dehinc* & *occœpit*. neutrum autem
Phædri, qui semper *deinde* & *cœpit* utitur. ut ex indice pate-
bit. *Prior*] Potior, præstantior te. *At ille stultus*] Cod.
Vossi.

*At ille dum etiam vult vocem ostendere
Latiorē emisit, &c.*

aliquis ad oram libri refinxit

Latiorē at ille dum vult, &c. frustrâ.

Corvi deceptus stupor] Corpi stupor, pro *corvus stupidus*. Phæ-
dro solenne loquendi genus. Sed Cod. Voss. itâ legit.

*Tum demum ingemuit corvus cur dolosis
Deceptus fuerat fraudibus ut ignarus.*

Unde Vossius, (posteriore versu, ut spurio, rejecto) ex istis, *cur*
dolosis hanc elicit lectionem,

— *cerdonis dolos.*

νερόδι autem est Vulpes. placet recepta lectio. nollem tamen
Vossianâ conjecturâ Lectorem fraudare. *Quantum*] Ultima
littera non eliditur. aut *quantum* post *Ingenium* ponendum est.
Virtute] Heinlius ut spurium rejicit. qui retinent *Virtuti* le-
gunt. at quænam Hæc est virtus seu robur in corvo? nulla
nisi alarum; quibus facillimè vulpem posset evadere. Gudius
autem illud *hâc re probatur quantum ingenium valet* spurium
esse judicat, & à glossatore Monacho formatum ex hoc Auso-
niano disticho

— *vir-*

——— *virtute probari*
Non obstare locum, quum valet ingenium.

deinde spurium esse hunc Versiculum ex antiquissimo codice Fabularum Æsopiarum Wissenburgensi patet, in quo Phædri pleræque Fabulæ satis amplâ Paraphrasi explicantur, in quo nec vola neque vestigium hujus inepti versus exstat. Sic enim redditur ultima pars fabulæ. *Tunc verò corvus ingemuit stupore deceptus, multi quod viribus non possunt sapientiâ explicant.* Vides egregiè putidum illum versum omitti, quod sanè non fecisset, si eum in suo exemplari reperisset, cum Phædri vestigia legens, nullum verbum alicujus momenti intactum relinquat. Porrò adfabulatio, seu *ὑπερβολή* nunquam in eâdem fabulâ utrobique in primo & ultimo loco reperitur, ut hîc factum est. Hoc verò inepto Glossatori debetur, cum non intelligeret artificium Phædri, inducentis animalia aliosque in fabulis loquentes, qui lusuf jocosque suos ultimo versiculo ad Epigrammatis exemplum non quidè̄m acutâ adeò, sed gravi, ut decet, sententiâ finire solent. V. l. 1. fab. 26. l. 3. fab. 8. 18. & passim. Itâ etiâ̄m hoc loco fingitur corvus, deceptus, & serò sapiens ingemiscens dicere hanc sententiam

Virtuti semper pravalet sapientia.

Ingemuit hic valet idem ac cum gemitu dixit. Statius fin. l. 9. Theb.

——— *viresque solutas*
Ingemit ——— . *hoc est, cum gemitu queritur.*

cujus generis multa passim obvia. Gudius.

F A B. XIV.

Fallax vulgi judicium.

E X S U T O R E M E D I C U S .

Malus quum Sutor inopiâ deperditus
 Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
 Et venditaret falso antidotum nomine,
 Verbosis adquisivit sibi famam strophis,

F 4

Hic

18 PHÆDRI FABULARUM

Hic, quum jaceret morbo confectus gravi 5
 Rex urbis, ejus experiendi gratiâ,
 Scyphum poposcit; fusâ dein simulans aquâ
 Antidoto miscere illius se toxicum,
 Hoc bibere jussit ipsum, posito præmio.
 Timore mortis ille tum confessus est, 10
 Non artis ullâ medicum se prudentiâ,
 Verum stupore vulgi factum nobilem.
 Rex advocatâ concione hæc addidit:
Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere, 15
Cui calceandos nemo commisit pedes?
 ¶ Hoc pertinere verè ad illos dixerim,
 Quorum stultitia quæstus impudentiæ est.

Malus] Artis suæ imperitus. *Deper.*] Præ egestate omnino perditus. *Ignor.*] Ubi eum nemo noverat. ut ante, Fab. 11. *Ficere medi.*] Artem medicam exercere, medicum agere, non ut supra, Fab. 9. *Vendi.*] *Venditare* dicitur is qui merces suas verbis, quod in se est ornatas, ad inescandos emptores, jactanter ostendat. *Falso*] Quæ falso habebat hoc nomen. *Verbosis strophis*] *Canting Tricks.* versutis ambagibus verborum. *Tortiloquium.* Glossæ Vet. *Strophæ.* *Hic*] *Hereupon.* eo tempore. *Rex*] Moderator, qui summam tenet Reipublicæ. *Ejus exp.*] Quò exploraret illius artem fidemque. *ejus* enim pendet à Gerundio *experiendi.* in usu autem fuit apud veteres medicum explorare, cum de medicinâ esset dubium. *Fusâ*] Infusâ scypho. *Antid.*] *Transpones* melius. *miscere illius antidoto.* &c. *Ipsum*] Medicum. Hoc clarè indicat Regem, non Satorem, ægrotum jacuisse, ut & sequens, *timore mortis.* *Posito*] Proposito. *Mortis*] Imminentis ex haustu poculi, ut credebatur, venenati. *Medi.*] Heinsius *medicæ* conjicit. *Pruden.*] *Insight.* *Concione*] Populo. *Addi.*] Gronov. Heinf. *edidit.* *Quantæ*] Quàm dementes putatis vos esse? *Calcean.*] Calceis infirmandos, muniendos. *Comm.*] Meursius *commissit,* pro commiserit, assentiente Fabro. *Quorum*] Quorum simplicitas & imperitia præbet quæstum impudentibus. Gron. Græv. lectionem tamen veterem retinendam censet Gudius. MS. *imprudencia,* probè. quorum errore & impudentiâ quæstus est stultitiæ & imperitiæ artis.

F A B. XV.

Pauper dominum non sortem mutat.

ASINUS EGREGIE CORDATUS.

IN principatu commutando civium
 Nil præter domini nomen mutant pauperes.
 Id esse verum parva hæc fabella indicat.

¶ Asellum in prato timidus pascebat senex ;
 Is hostium clamore subito territus, 5
 Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
 At ille lentus : *Quæso num binas mihi*
Clitellas impositurum victorem putas ?
 Senex negavit : A. *Ergo, quid refert meâ*
Cui serviam, clitellas dum portem meas ? 10

Civium] MS. lectio. olim, *sæpius*. pendet autem ex *pauperes. pauperes civium* pro *pauperes cives*. Gudius. *Nil præter domini nomen*] Priores editi habuerunt *mores*. unde Heinſius *sortem*. verum integra librorum illorum lectio fuit ista. *Nil propter domini mores* ; cum sint iidem & illius qui decedit & illius qui subsequitur. Schef. MSS. habent *mores*. sed hoc ab erudito Scholiaste, (qui locum Taciti l. 2. *Histor. magis alii homines, quam alii mores*, margini ascripserat) in textum irrepsit. *Fugere*] Fugam. *At ille*] Heinſius, *at illi lentus*. quam si correctionem admiseris, *Lentus* naturam induet substantivi, & ut *sonipes* pro equo, *laniger* pro agno ita *lentus* pro asino non inconcinne hoc saltem loco poni possit. *Nega.*] Dixit victorem non impositurum.

F A B. XVI.

Fidejussorem infidum cave.

O V I S & C E R V U S.

FRaudator nomen quum locat sponso improbo,
Non rem expedire, sed malam dare expetit.

¶ Ovem rogabat Cervus modium tritici
Lupo sponso, at illa præmetuens dolum ;
Rapere atque abire semper adsuevit Lupus : 5
Tu de conspectu fugere veloci impetu :
Ubi vos requiram quum dies advenerit ?

Fraudator nomen cum locat sponso] Ità ex MSS. edidit Rigaltius. Bene : nec varias doctorum conjecturas moror. Loci Sententia videtur hæc esse. Cum fraudator nomen suum alii utendum dat, Sponsione nimirum invalidâ & obligationem elusurâ ; non eo consilio id agit, ut rem expeditam reddat, sed malam & impeditam dare studet. Quam explicationem præ cæteris amplectendam censeo, ut subjectæ fabulæ accommodatior. *Fraudator* enim Lupo potius quàm Cervo competit. *locare* autem *nomen* idem ferè vult quod *locare* ædes. *Sponso* modum exprimit locandi nomen, *Improbo* fraudem, vel suspectam promptitudinem. *improbus* enim Angl. *forward*. Gronovius totum locum ita scribit & exponit. *Fraudator* nomen cum locat sponso improbo, non rem expedire, sed malum dare expetit. *Nomen locat* qui, accepto mutuo vel merce, alteri obligatur, qui suum tanquam debitoris nomen locat, & patitur apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuum aut vendimus in diem. *Sponsum* est idem quod *Sponsor*. *Is talis non rem expedire*, rem solvere, reddere mutuum, vel mercis quod convenit pretium, sed dare damnum vel malum creditori expetit. *Malam dare*] Lectio Gruteriana. quam MSS. unicam tuentur, qui malavideri exhibent. *Præmet* autem *re* videre confecta est syllaba ex *m* à fine *re* *malam* avulsâ. quæctus litterarum iidem utrisque. *Præmet*] Mature metuens inquit. *Tu*] Subaud. assuevisti. *Dies*] Solutioni scilicet præstituta.

FAB.

F A B. XVII.

Calumniatorem sua pœna manet.

OVIS, CANIS, & LUPUS.

Solent mendaces luere pœnas malefici.
 ¶ Calumniator ab Ove quum peteret Canis
 Quem commodâsse panem se contenderet,
 Lupus citatus testis, non unum modò,
 Deberi dixit, verùm affirmavit decem. 5
 Ovis damnata falso testimonio,
 Quod non debebat, solvit. Post paucos dies
 Bidens jacentem in fovea conspexit Lupum :
Hæc (inquit) merces fraudis à superis datur.

Calum.] Ordo est turbator, simpliciter se ita habet. Canis calumniator, cum peteret panem ab Ove, quem sci. panem contenderet se commodâsse Ovi. Schef. *Commodasse*] Pithæi codex *commendâsse*, i. e. servandum apud Ovem deposuisse. quam lectionem olim prætuli; quò enim Ovi panem quis commodaret? nunc verò alterum posse stare puto, quia calumniam canis fortius indicat. *Deberi*] C.V. *debere* sc. ovem. *Solvit*] Unde, quæso, nacta est tantum panis? liceat sane Cani calumniatori injusta poscere; non ideò tamèn licet Ovi ea facere, quæ fieri non possunt. Ovis quidem satis expressa est viri innocentis imago; sit tamen in omnibus sui similis, nec propriam subinde exuat naturam. Hic itaque iterùm verisimilitudinem, sine quâ voluptas his in rebus nulla est, vehementer desidero. *Bidens*] Codex Petavianus. *Videns.* unde Heinsius. *Bidens* conjecit. feliciter. Bidentes autem pro ovibus passim à poëtis dici quis nescit? *Jacentem*] Delapsum; non mortuum ut interpret Gallicus. Solebant enim capi olim quoque foveis. unde Horatius. cautus enim metuit foveam Lupus. Schef. *fovea* Anglicè a *pit-trap*. *Conspexit.*] Cod. Dan. prospexit. *Benè.* *Merces*] Et præmium, & pœnam significat.

F A B. XVIII.

Horret quisque adire locum ubi læsus est.

MULIER PARTURIENS.

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.

¶ Instante partu mulier actis mensibus,

Humo jacebat flebiles gemitus ciens.

Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,

Onus naturæ melius quo deponeret.

Minimè, inquit illa, *posse confido loco*

Malum finiri quo conceptum est initio.

5

Recolit] Iterùm colit, redit ad, revisit locum, ubi quis jam læsus fuit. *Actis*] Finitis novem mensibus. *Humo*] Humi. Heinf. *Vir*] Maritus. *Recipe*] ut reciperet. *Onus nat.*] *Maturum* Heinf. conjecit, quia *onus naturæ deponere* nihil aliud esse videtur, quam alvum exonerare. Sed *natura* hic ponitur pro partibus genitalibus. L. 4. Fab. 5. *naturæ partes*. *Natura* pro utero Cicero & Plinius. non recipienda est ergò Heinf. conjectura. Gudius. *Illa*] Ita Codex Dan. olim *illo* legebatur. *Malum*] Dolores partus. *Initio*] MS. fuit *initium*, unde Heinf. *primulum*. Terent. Adelp. 3. 1. dolores occipiunt primulum. frustra.

FAB.

F A B. XIX.

Omnem aditum malis præcludito.

C A N I S P A R T U R I E N S.

HAbent insidias hominis blanditiæ mali,
 Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
 ¶ Canis parturiens, quum rogasset alteram,
 Ut fœtum in ejus tugurio deponeret,
 Facilè impetravit ; dein reposcenti locum, 5
 Preces admovit : tempus exorans breve
 Dum firmiores catulos posset ducere.
 Hoc quoque consumto, flagitare validiùs
 Cubile cœpit : *Si mihi & turbæ meæ*
Par (inquit) esse potueris, cedam loco. 10

Habent] In se continent. *Deponere*] *Deponere liceret.* propriè ad fœtum, quem & *onus* supra d. xit. *Dein*] MS. *deinde.* quod Phœdro familiare. *Admo.*] Vehementiam orantis denotat. *Exorans*] Orando impetrans. *tempus* autem non pendet è participio *exorans* sed à præpositione subauditâ *in.* orando impetrans locum in tempus breve. quod enim oravit, idem orando impetravit. *Ducere*] Post se trahere, habere secum in consortio, in comitatu suo. Cicero 4. Art. 11. *Ego mecum præter Dionysium, duxi neminem.* Fabius. *Ne servos quidè amplius quam duos duxi.* Gronov. Sed in Schedis Regiis est *deducere* : unde Heintius suspicatur legendum, *dum firmiores posset caulâ educere,* vel, *dum firmiores catulos post educeret.* *Si mihi*] MS. *illa si mihi.* quod manifestum est Glossema, & protinùs extrudendum. *Turbæ*] Catulis meis. *Par*] a *match.*

F A B. XX.

Stultitia plerumque exitio est.

C A N E S F A M E L I C I :

STultum consilium non modò effectū caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

¶ Corium depressum in fluvio viderunt Canes
Id ut comesse extractum possent faciliùs,
Aquam cœpère ebibere, sed rupti priùs
Periére, quàm quod petierant, contingerent. 5

Effec.] Effectu caret. nequit effici; quomodò culpâ caret, pro, nequit culpari. *Devocat]* A gradu superiore ad imum. ea enim vis est *tr̄ de.* *Depr.]* Ab alutario in aquâ demersum. *Ebi.]* Ita C D. & Sche. Regi. editi. *bibere.* *Rupti]* Ordo verborum. *rupti* nimio potu *perierunt priusquam contingerent* corium quod petierant.

F A B. XXI.

Miser vel ignavissimo cuique ludibrio est.

L E O S E N I O C O N F E C T U S .

QUicumque amisit dignitatem pristinam
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.

¶ Defectus annis & desertus viribus
Leo quum jaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam. 5

In-

Infestis Taurus mox confodit cornibus
 Hostile corpus. Astutus ut vidit ferum
 Impunè lædi, calcibus frontem extudit.
 At ille expirans: *Fortes indignè tuli*
Mihi insultare ; te naturæ dedecus
Quòd ferre cogor, certè bis videor mori.

10

Defec.] Schop. *defessus.* pessimè. *defectus annis* ille est, qui præ annis deficit. & cujus vires absumuntur & labant. Colum. l. 1. Præf. *defectissimum annis, &c. relegat.* Gratius. *huc defecta malâ vidi pecuaria tabe, &c. & sexcenta hujusmodi.* *Annis*] Gudius. *armis.* è codice Remensi. nec displicet. feræ enim & *armatæ* & *inermes* dicuntur. Phæd. ipse, l. 1. Fab. ult. genus inerme. Statius. l. 11. in fin. de Leone

Fam piger & longo jacet exarmatus ab ævo.

Trahens] Vix vi ducens. *Fulmin.*] Ob candorem fulminis parem ; & propter violentiam & obliquitatem ictûs : passim apud Poëtas occurrit. Ovid. *fulmineo dissipat ore canes.* *Ictu*] Propriè, de morsu aprorum. Obliquo latrantes dissipat ictu. Ovid. l. 8. M. v. 344. *Hostile*] Corpus Leonis, qui sibi hostis fuit : inveteratum enim olim inter Tauros & Leones odium intercessit. *Ferum*] *Ferus* pro, Equo, Cervo, Apro, Leone, &c. usurpari, nulli jam non notum est. expatiari itaque ineptum judico. *Extudit*] Optimè. convenit apprimè cum præcedentibus. Venit, vindicavit, confodit, vidit. Quam lectionem tuentur. MS. Rem. & Cod. Dan. Pithæus *exterit in contextum* recepit. *Expi.*] Animam nempe ultimam. *Certè*] Certè omninò conjungendum est cum *bis.* quasi diceret Leo, *emphatically twice.* bis enim mori est, ab ignavâ manu mori.

FAB.

F A B. XXII.

Qui alteri suam ob causam commodat, injuriâ
postulat id gratiæ apponi sibi.

M U S T E L A & H O M O.

MUstela ab homine prensa quum instantem necem
Effugere vellet: M. *Quæso* (inquit) *parcas mihi,*
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.

Respondit ille: H. *Faceres si causâ meâ,*
Gratum esset, & dedissem veniam supplici: 5
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quæ sunt rosuri, simul & ipsos devores,
Notû imputare vanum beneficium mihi.

Atque ita locutus improbam letho dedit. 10
Hoc, in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

Parcas] MS. Parce. malè. *Tibi*] *Tibi* pendet & regitur à
molestis. potest etiam eleganter pro *tuam* poni, adeoque cum
domum construui. *Faceres*] MS. facerem. malè. *Gratum*] *Re-*
Gudius. ratum. conjicit. *gratum* Ang. *an obligation.* *Re-*
liqu.] Faber, aliique neutrius esse generis substantivum volunt,
nullâ prope autoritate nixi. *Gudius* adjectivum quadrisylla-
bum *relicuus. reliqua* enim dicuntur idem quod *reliquiæ.* ut
Græcis λοιπάδες & λοιπά. *reliqua* cœnarum. *Quæ*] Heinſius *quas. reliquiis* enim
à *reliquiæ.* *Devo.*] Opponitur eleganter τῶν *rosuri.* *Mustela*
enim sub specie tuendi majus inſulit malum. *Impu.*] *put to*
my account. *Impro.*] *Impudentem,* & iniqua postulan-
tem. *In se*] *Contra se.* *Privat.* Angustis inclusa finibus,
non commune respiciens, ipsum solummodo domum. *Ja-*
ctant] Sic MS. alit. *jactat.* *Meritum in.*] *Supra. vanum be-*
neficium. *Impruden.*] *Apud imprudentes, imperitos, simpli-*
ces.

F A B. XXIII.

Suspecta malorum beneficia.

C A N I S F I D E L I S.

Repente liberalis stultis gratus est,
Verùm peritis irritos tendit dolos.

¶ Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi :

Heus (inquit) *linguam vis meam præcludere,* 5

Ne latrem pro re domini ? multùm falleris.

Namque ista subita me jubet benignitas

Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

Repente] Præter consuetudinem, præterque spem. *Tendit*] MS. ostendit. ortum est vitium ex ultimis litteris *irritus* geminatis. *Objec.*] Ante Canem jacto. *Heus*] Heinſius, *Heus si, inquit,* &c. sine interrogatõe. nihil muto. *Re*] Commodo.

F A B. XXIV.

Potentes ne tentes æmulari.

R A N A R U P T A.

Inops potentem dum vult imitari, perit.

¶ In prato quodam Rana conspexit Bovem,

Et tacta invidiâ tantæ magnitudinis,

Rugosam inflavit pellem : tum natos suos

Interrogavit, *an Bove esset latior.* 5

28 PHÆDRI FABULARUM

Illi negarunt. Rursus intendit cutem
 Majore nisu, & simili quæfivit modo,
Quis major esset? illi dixerunt: *Bovem.*
 Novissimè indignata, dum vult validiùs
 Inflare sese, rupto jacuit corpore.

10

Quodam] Heinſius. *quondam.* & sic fanè suas negatiunculas incipit Phædrus. *Remiccius. quædam.* nec illud displicet. *Tacta*] Pro composito, contacta. Invidiâ enim, utpote veneno, contacta inflavit pellem. *Natos*] Ranas, suam prolem. *Negarunt*] Dixerunt eam non esse. *Nisu*] *Strain, effort.* *Bovem*] Subaud. *esse majorem.* *Jacuit*] Usurpatur de iis qui violentâ morte perunt.

F A B. XXV.

Rete ne tendas Accipitri & Milvio.

CANIS & CROCODILUS.

Confilia qui dant prava cautis hominibus,
 Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
 ¶ Canes currentes bibere in Nilo flumine,
 A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.

Igitur quum currens bibere cœpisset canis,

Sic Crocodilus: *Quamlibet lambe otio,*
Noli vereri; at ille; *Facerem mehercule,*
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

In Ni.] *Bibere in Nilo.* mirifice me delectat, accipit enim ut apud Florum, bibere in ossibus capitum. In paterâ. In Auro. Gronovius. *Croco.*] Gadius *Corcodilis* legendum esse, quotiescunque producitur, contendit. Sic enim vetustissimi optimique MS. ipsum audi Gadium. testari possum in optimis & septingentorum & amplius annorum membranis, non tantum apud Poetas, iis in locis, ubi metri ratio id postulat sed etiam in prosâ apud Oratores & Philosophos reperiri *Corcodilus.* Sic

Glossæ

Glossæ Divionenses Septingentis annis vetustiores. *Crocodylus*, animal in Nilo. sequitur. Corna. Coragium. Cornicen. Otio] Vêt. Cod. post otio hunc inserit versum. *Pota, accede, noli timere sedulo ait, at noli vereri, inquit, at ille, facere mehercule.* Rigaltius, accede, pota leniter, & noli dolos inquit vereri. Hinc Gudius, (abjectis ait, inquit, & istiusmodi glossematis) ita emendanda censet.

*Sic Crocodilus, quamlibet lambe, otio
Pota, ac accede Nilo temere, de dolo
Noli vereri.*

Noli timere, mutat in *Nilo temere*. *Sedulo* in *de dolo*. *temere* autem explicat *Audacter*, *frankly*, & probare conatur. Non placet istud *temere*. periculum innuit, non incolumitatem, nec sanus quisquam *Crocodylus* uteretur tunc quidem temporis verbo tam dubio, tam suspitioni obnoxio. Quid fiet? inquires. Quî hunc locum ipse expedies? Excludenda sane judico. Glossæ enim mihi videntur. Si enim explicatum irem hunc versum, sic *Crocodylus*: quamlibet lambe otio, noli vereri: quam potiore hâc insisterem viam? Ex. gr. *Crocodylus*] Inquit, ait. *Lambe otio*] Accede, pota leniter. *Noli vereri*] Noli timere Sc. dolos. ex brevi scribendi modo *at* scilicet & *dolos* ortum est istud *sedulo*. Conjunctio *at* natum est ex præcedente *ait*.

F A B. XXVI.

Par pari refertur.

V U L P E S & C I C O N I A.

NULLI nocendum: si quis verò læserit,
Multandum simili jure fabella admonet.

¶ Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitasse, & illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia:

Quæ Vulpem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens

.G 2

Satiatur

30 PHÆDRI FABULARUM

Satiatur ipsa, & torquet convivam fame :
 Quæ quum lagonæ frustra collum lamberet, 10
 Peregrinam sic locutam volucrem accepimus :
 Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Nocendum] Subaud. *est.* *Multan.*] Subaud. *esse eum.*
Patinâ] In utroque codice vetusto est *patena*, unde *patella*.
 Gudius. *asinus* tamen facit *asellus*, & *catulus*, *catellus*. dimi-
 nutivum itaque *Patella* neutiquam indicat primitivum *Patina*
 per *i* magis quam *e* scribendum. *Liquid.*] Primâ productâ,
 ut apud Lucretium. Nec abundat hoc loco, quia licet omnis li-
 quida sit sorbitio, hæc tamen fuit maximè, eoque fine ipsam
 vulpes apposuit. *Revoc.*] ἀνπαλεῖν. ut ex D. Lucâ notat
 Faber. Nonnius: revocare, per vices mutuò ad cœnam vocare.
Intrito] Ἰντῖν. *Lagonam*] Sic omnes MSS. Etymologia
 quoque id videtur postulare: ut enim à Græco νῆξ, Latinis
nox, à μῶλα *mola* derivatur, sic à λάγυνος, *lagona*. quin &
laguna reperitur, unde *laguncula*. o autem & u promiscuè usur-
 pantur. & *torq.*] Heinſius & omittendum cenſet. *Pere-*
gri] Quæ quotannis peregre abire & redire solet. *Sua*]
 Activè, quæ quis flatuit in alios.

FAB. XXVII.

Avarus suus sibi carnifex est.

CANIS, THESAURUS, & VULTURIUS.

HÆC res avaris esse conveniens potest,
 Et qui humiles nati, dici locupletes student.
 ¶ Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
 Invenit: & violavit quia Manes Deos,
 Injecta est illi divitiarum cupiditas, 5
 Pœnas ut sanctæ religioni penderet.
 Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
 Fame est consumptus: quem stans Vulturius super
 Fertur locutus: O Canis, meritò jaces,
 Qui concupisti subito regales opes, 10
 Trivio conceptus, & educatus stercore.

Res]

Res] Fabula. sic passim apud Phædrum. *Offa*] Cibi scilicet gratiâ. *Violavit*] C. Rem. violârat. bene. *Manes*] *Per Deos Manes* intelliguntur ossa & cineres. ut in Inscriptionibus *Varropius* apparet.

• D. M.
— V E O S S —
C I N E R I B U S Q.

hoc est, Deis manibus, sive ossibus cineribusque, &c. Gadius Injec.] A diis nempe iratis immissa. *Sancta*] Auctoritate legum stabilitæ. *Religio.*] Scilicet, violatæ. *Quem*] *Super quem Vulturius stans, &c. Regal.*] Quales regem decerent, regi aptiores, quam tibi. *Trivio*] In trivio.

F A B. XXVIII.

Ne magnus tenuem despicio.

V U L P E S & A Q U I L A.

QUAMVIS sublimes debent humiles metuere :
Vindicta docili quia patet solertiæ.

¶ Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit :

Nidóque posuit pullis, escam ut carperent :

Hanc persecuta mater, orare incipit,

5

Ne tantùm miseræ luctum importaret sibi.

Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.

Vulpes ab arâ rapuit ardentem facem,

Totamque flammis arborem circumdedit,

Hosti dolorem damno miscens sanguinis.

10

Aquila ut periculo mortis eriperet suos,

Incolames natos supplex Vulpi tradidit.

Quamvis] Quantumvis. homines loco, gradu altissimi. *Docili Soler.*] *A quick wit.* Docilis, qui facile quidvis arripit, & suum facit. appositissimè ad Vulpem; quæ ab arâ forte oculis oblatâ salutem suis peperit insperatam. *Patet*] Nihil enim est quod vindictæ ansam sagacibus non præbeat.

32 PHÆDRI FABULARUM

Nido.] In nido. *Perse.*] Ad nidum usque secuta. *Impor.*] Frequens Ciceroni. ægritudines, sollicitudines, calamitatem, incommodum importare. *Gudius.* *Ipsa loco*] Naturâ & situ loci. *Ardentem facem*] *Fax* nil aliud est quam fustis incisus, & ita comparatus, ut flammam concipere possit. non itaq; otiosum est *to ardentem*. *Faber.* *Virg. l. 5.* ardentem dare visa faces. *Tib. 2. E. 1.* ardentem hinc procul abde faces. *Cicero in Ver.* dexterâ ardentem facem præferbat. & sæpe alibi. *Gudius.* *Miscens*] Aquilæ malum concilians, parans, utcunque suorum catulorum damno conjunctum. *Miscens*, ductum à medicamentorum compositione.

F A B. XXIX.

Est cui magno constitit dicterium.

ASINUS IRRIDENS APRUM,

PLerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumeliâ,
Et sibi nocivum concitant periculum.

¶ *Asellus Apro* cum fuisset obvius :

Salve, inquit, *Frater*. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur sic mentiri velit.

Asinus demisso pene ; *si similem negas*
Tibi me esse, certè simile est hoc rostro tuo.

Aper cum vellet facere generosum imperum,
Repressit iram : & , *facilis vindicta est mihi,*

Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

Risum dum] Dum quamvis leviter & inaniter jocandi occasionem arripere student. *Destrin.*] *grate*, gall. verbum balnearum quo utuntur ad significationem detersionis, quæ fit strigili. *S.* *Frater*] Blanda salutantium vox. *Officium*] complement. *Velit*] *to velit* eleganter arguit impudentiam asini. *Schef.* *Asinus*] *Subaud. respondit.* *Si simi.*] *MS. simi. si.* *o*] *Subaud. dixit.* v. *Perizonium ad Sanctii Minervam.* p. 4. 97. de verbo *dixit* omisso. *Ignavo*] Ignavi animantis sanguine.

FAB.

FAB. XXX °

Mala publica in plebem recidunt.

RANÆ METUENTES TAURORUM
PRÆLIA.

HUmiles laborant, ubi potentes dissident.

¶ Rana in palude pugnam Taurorum intuens ;

Heu quanta nobis instat perniciēs ! ait.

Interrogata ab alia, cur hoc diceret,

De principatu quum illi certarent gregis,

5

Longeque ab illis degerent vitam boves :

Natio (ait) separata, ac diversum est genus.

Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,

Paludis in secreta veniet latibula,

Et proculcatas obteret duro pede :

10

Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

Laborant] Affliguntur, & periculis obnoxii sunt. *νεμυσσι.*
Aliã] Ranã. *Hoc*] Nimir. *quanta nobis instat perniciēs !*
Gregis] Vaccarum in palude pascentium. *Boves*] Vaccæ.
Natio] Non placet istud *natio*, quia nihil interest inter *natio*
& *genus*. una utrisque origo, idem sensus. at si, *statio, ait, se-*
parata, ac div. &c. legas, pulchre utrique rationi à ranã prius
assignatæ, responderet. fateor stationem illorum esse disjunctam,
& *boves longe à nobis vivere*, fateor quoque illos de principatũ
vaccarum, *genere* prorsũ à nobis *diverso* animalium, contende-
dere, sed qui, &c. *Procul.*] Nos ranas. *Cap.*] Vitam,
Itã] thus you see. *Pertinet*] Pertingit. extendit se.

F A B. XXXI

Cui fidas, vide.

MILVIUS & COLUMBÆ.

QUI se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

¶ Columbæ sæpè quum fugissent Milvium,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam : 5

Et genus inerme tali decepit dolo :

Quare sollicitum potiùs ævum ducitis,

Quàm regem me creatis ic̄to fœdere,

Qui vos ab omni tutas præstem injuria?

Illæ credentes, tradunt sese Milvio : 10

Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas,

Et exercere imperium sævis unguibus.

De relicuis tunc una : *Meritò plectimur.*

Milvium] Rectè trisyllabum. sic in MSS. antiquissimis.
Pennæ] Alarum. *Consil.*] Cogitationes, vim ingenii, facultatem consultricem. *Raptor*] Bird of Prey. *Singulas*] Alias post alias. nota accusativum post *vesci*. Sic Virg. *vescitur auras?* *Una*] Subaud. *dixit*.

PHÆDRI FABULARUM.

LIBER II.

PROLOGUS.

EXemplis continetur Æsopi genus.
 Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
 Quàm corrigatur error ut mortalium,
 Acuátque sese diligens industria.
 Quicumque fuerit ergo narrandi locus, 5
 Dum capiat aurem & seruet propositum suum,
 Re commendatur, non auctoris nomine.
 Equidem omni curâ morem servabo Senis :
 Sed si libuerit aliquid interponere ;
 Dictorum sensus ut delectet varietas, 10
 Bonas in partes (lector) accipias velim.
 Sic istam tibi rependet brevis gratiam,
 Cujus verbosa nè fit commendatio,
 Attende cur negare cupidis debeas ;
 Modestis etiam offerre quod non petierint. 15

Continetur Æsopi genus] In diversa abeunt interpretes de horum verborum sententiâ. Gronovius sic explicat. *Genus mortalium continetur* id est coercetur & docetur *exemplis* seu fabulis Æsopi. Hoc verò nimis tragicum sonat, nec placet illud *genus* per se positum, pro *genus mortalium*. Faber autem sic. Ea scribendi ratio, quâ utebatur Æsopus, constat fabulis. quæ interpretatio simplicior, non tamen ex omni parte satisfacit. Hæc enim videtur vera hujus Prologi mens.

Genus scribendi, quo usus est Æsopus, continetur exemplis, fabulæ enim sunt Exemplorum species quædam; quarum finis duplex, ut corrigatur error mortalium, acuatque sese diligens industria. Si igitur, quoties dabitur narrandi copiâ, narratio illa propositum fabularum finem servet, licet non sit fabula proprie dicta, nec introducat animalia aut arbores loquentes, tamen, inquàm, quia propositum servat, & illa narratio sit ex genere exemplorum, non minus quam quævis Æsopi fabula, recommendetur non Auctoris nomine. Morem quidem Æsopi omni curâ servandum mihi propono, si tamen libuerit evagari, ne sis morosus nimis censor; tuique candoris gratiam mea brevitatis rependet. *Genus Æsopi*] Sic ipse Cicero, l. 3. de Orato. Sec. 9. Ed. Oxon. Videtisne genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, &c. inter genus Antonii quid quæso interest & genus Æsopi? *Contine.*] Comprehenditur, ut species. sub suo genere. *Quicumque*] Mens loci, ut nunc se habet, hæc est. ubicumque dabitur mihi copia quidvis narrandi. nudum *narrare* ponitur pro *fabulam* narrare. L. 1. f. 6. *Continuo narrare incipit.* *Locus* autem idem est quod Græcè *καιρός* dicitur. tempus opportunum, occasio. *Capiat* autem pendet ex *narratio* subintellecto. Gudius tamen, aliique legendum volunt, *narranti jocus*. I enim in L sæpe mutari in codice Remensi observat Gudius. L. 1. f. 21. *ignavis etiam locus est.* ubi aperte scribendum *jocus*. *Suum*] Fabulis proprium. *Re commenda*] Heintius *commendetur.* neglecto Auctoris nomine, ex re ipsâ spectetur, & meritam laudem vel contemptum inveniat. *Senis*] Æsopi. *Dictorum*] Facetiarum. rectè *to dictorum* ab *interpretare* puncto separandum monuit Perizon. Animad. Historic. l. 2. *Sic istam*] Lectio Perizonii. MS. *ita sic.* malè. sententia autem hæc est. sic nostra brevitatis gratiam tibi rependet istam. *i. e.* istius rei, nimir accipiendi in bonas partes. ipsum autem Perizonium vide libro prædicto. *Cujus verbo.*] Ne tamèn in brevitate commendandâ contra brevitate peccem, &c. *Offerre*] Ultra dare etiam non petentibus.

F A B. I.

Sunt etiam sua præmia laudi,

LEO SAPIENS.

Super Juvenum stabat dejectum Leo :
Prædator intervenit partem postulans :

Darem (inquit) nisi soleres per te sumere :

Et improbum rejecit. Fortè innoxius

Viator est deductus in eundem locum,

Feròque viso rettulit retrò pedem.

Cui placidus ille : *Non est quod timeas*, ait :

Et, quæ debetur pars tuæ modestiæ,

Audacter tolle. Tunc diviso tergore,

Silvas petivit, homini ut accessum daret.

Exemplum egregium prorsus & laudabile,

Verum est aviditas dives, & pauper pudor.

Stabat] Victoris more. Ovid. *Metam.* 5. 552. *Spoliisque animosa superstans unda velut victrix, sinuatas despicit undas. Partem postu.*] At quo ore? quâ fiduciâ? à Leone nimirum hoc exegit, velut iisdem studiis ac negotiis dedito. *Per te*] i. e. vi, non rogatâ veniâ; nedum impetratâ. *Impro.*] Audacem, & aliena, ut sua flagitantem. *Rejecit*] Cum contentu repulit. *Deduc.*] Tenore viæ ductus est. *Retro*] Poterat oratio carere istâ vocolâ *retro*. Sed ejusmodi pleonasmus veteris elegantiae sunt. Virg. 2. *Aeneid.* *ex illo fluere, & retro sublapsa referri.* pluribus non opus est. *Non est quod*] Non est quicquam in causa, propter quod. *Tol.*] Partem. *Tergore*] *καταχρηστικῶς* pro, tergo. sic Ovid. alicubi. *Verum est*] Hoc vult: Licet sit laudabile exemplum, pauci tamen id sequuntur: nam ut nunc se res habent avidi & audaces divitias consequuntur, modesti verò pauperie laborant.

F A B.

F A B. II.

Simile simili gaudet.

R E P E N T E C A L V U S.

A Fœminis utcunque spoliari viros,
 Ament, amentur, nempe exemplis discimus;
 ¶ Ætatis mediæ quendam mulier non rudis
 Regebat, annos celans elegantiam :
 Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat. 5
 Ambæ videri dum volunt illi pares,
 Capillos homini legere cœpère invicem.
 Quum se putaret pingi curâ mulierum,
 Calvus repente factus est, nam funditus
 Canos puella, nigros anus evellerat. 10

Spoliari] Proprie. Hecyra. Act. 1. Sc. 1. vetula Terentiana hortatur meretriculam, *ne cujusquam misereat, quin spoliaret laceret, mutilet quemquam nacta sit.* Martial. lib. 4. Ep. 19. *amica spoliatrix.* Gudius. *Utcunque*] Quovis modo. *Ament, amen.*] Sive *ament*, sive *amentur* feminae. *Nemp.*] Clare vides. *Quendam*] MS. quedam lincolâ superduâta. *Non rudis*] Quæ res amatorias pulchrè calluit. talem *doctam* Ovidius & Tibullus vocant: *non rustica cognita furto.* *Regebat*] Schæfteri conjectura. olim *tegebat* nullo sensu; unde Gudius *tenebat* scilicet amore obstrictum sibi velut vinculis; *regebat* autem mihi magis arridet; poterat enim *regere* illum callida mulier suâ solertiâ & lenociniis, quem tamen amore captum non *tenebat*; illa quidem vetula hominem amabat, non autem ille ipsam; animos enim illius pulchra juvenis ceperat: Hæc quoque interpretatio verbis præmissis magis convenit. Sive *ament*, sive *amentur* feminae. *Annos*] Heinsius *canos*. non placet. *Eleg.*] Morum cultusque elegantiam vetulam detegi, quæ scilicet latebat, non sinens. *Pares*] Refertur ad externam speciem. S. *Homi.*] Malo sensu, ut sexcenties apud Terentium. Anglicè, *the poor fellows.* *Legere*] Evellere. Ovid. Art. Am. l. 2. v. 666. Albentes cum leget illa comas.
Pingi]

Pingi] Ornari. legitur & *fingi*. nec id malè. *Curâ*] Gronovius *curam* à *κρη* *Tonsura* derivari cenſet, & primo ſenſu *curam* capillorum denotare: Vid. *Obſervat. libros.* ubi multa ad hanc rem doctè, acutè, ſupra fidem, ſi non verè.

F A B. III.

Impunitas, peccandi illecebra.

HOMO & CANIS.

Laceratus quidam morſu vehementis Canis,
 Tinctum cruore panem miſit malefico,
 Audierat eſſe quod remedium vulneris.
 Tunc ſic Æſopus: *Noli coràm pluribus*
Hoc facere canibus, nè nos vivos devorent,
Quum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.

¶ *Succellus improborum plures allicit.*

Vehem.] Gron. Heinf. vehementi. *Miſit*] Sic ſolet Phædrus loqui, non immiſit. at unde vitium? adhæſit nimirum verbo ultima litera *re panem*. hinc illa geminatio. *Malef.*] Cani, qui malum fecerat. *Plures*] *Succellus* improborum non tantum plures allicit, ſed ad majora quoque facinora impellit. qui enim modo lacerabant tantum, mox devorabunt.

F A B. IV.

Vir dolosus seges est mali.

AQUILA, FELIS & APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat :
 Felis cavernam nacta, in mediâ pepererat :
 Sus nemoricultrix fœtum ad imam posuerat.
 Tum fortuitum Felis contubernium
 Fraude & scelestâ sic evertit malitiâ. 5
 Ad nidum scandit volucris : *Pernicies*, ait,
Tibi paratur, forsan & miseræ mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facilè progeniem opprimat. 10
 Terrore offuso, & perturbatis sensibus,
 Derepit ad cubile setosæ suis ;
Magno (inquit) in periculo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum, cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi. 15
 Hunc quoque timore postquam complevit locum,
 Dolosa tuto condidit sese cavo.
 Inde evagata noctu suspensio pede,
 Ubi escâ se replevit & prolem suam,
 Pavorem simulans prospicit toto die. 20
 Ruinam metuens Aquila ramis desidet ;
 Aper rapinam vitans non prœdit foras.
 Quid multa ? inediâ sunt consumpti cum suis,
 Felisque catulis largam præbuerunt dapem.
 ¶ Quantum homo bilinguis sæpè concinnet mali,
 Documentum habere stulta credulitas potest. 26

Subli.] In sublimitate quercûs, in vertice. *Mediâ*] Subaud. quercu. *Nemoricul.*] Unâ você. ut *sylvicultrix*. quæ habitat sylvas. *Fortuitum*] Tertia syllaba producitur. Sic Horat.

Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant.

Quotidie] Secundâ longâ. Sic iterum, l. 4. in Prol. 2.

Nam vita morti propior est quotidie.

Sic Syrus.

Quotidie damnatur qui semper timet. Terentius bis.

Aprum] Quomodo *insidiosum aprum*, cum sermo sit de *Sul* foeminâ? puto aprum ex eo genere esse, quod vocant Epicœnum. atque ideò effert masculinè; licet foemininè intelligatur. Plin. mus marinus parit ova. l. 10. c. 51. *Plano*] Solo subaud. *Offu.*] Olim effuso. malè. offusus terror, offusæ tenebræ, solennia sunt. ob oculos animumque aquilæ terrore fuso, jacto. *Derepit*] Malè *direpit*. *Simul*] Simul ac statim postquam. *Tuto*] MS. toto. Heins. noto. *Suspensio*] Leviter imposito terræ, pensili. *Prosp.*] Timorem & vigiliantiam denotat. *Ruinam*] Quercûs. *Desid.*] Quasi in aprum nunquam non excubias ageret. *Rapi.*] Porcellorum raptum. *Quid multa?*] Propter quid multa loquor? in short. *Praebuerunt*] Tertiâ brevi. Sic *miscuerunt, dederunt, &c.* *Concinnet*] Misceat, arte paret, aliis propinandum. *Cred.*] Frequentissimum Phædro loquendi genus. Stultè creduli.

FAB. V.

Ne quid nimis.

CÆSAR ad ATRIENSEM.

EST Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & aliis odiosissima.

Hanc

42 PHÆDRI FABULARUM

Hanc emendare, si tamen possum, volo 5
 Verâ fabellâ : pretium est operæ attendere.

¶ Cæsar Tiberius quum petens Neapolim,
 In Misenensem villam venisset suam.

Quæ monte summo posita Luculli manu,
 Prospektat Siculum & prospicit Tuscum mare, 10
 Ex alticinctis unis atriensibus,

Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
 Erat restricta, cirris dependentibus,
 Perambulante læta Domino viridaria,
 Alveolo cœpit ligneo conspergere 15

Humum æstuantem, come officium jactitans :
 Sed deridetur : inde notis flexibus

Præcurrit alium in Xystum, sedans pulverem.
 Agnoscit hominem Cæsar remque intelligit.

Id ut putavit esse nescio quid boni, 20
Heus (inquit Dominus) ille enimvero adfilit
 Donationis alacer certe gaudio.

Tum sic jocata est tanti majestas Ducis :
Non multum egisti, & opera nequicquam perit :
Multò majoris alape mecum veneunt. 25

Est Ardeli.] Est quoddam genus hominum, qui nugatorie
 & ineptè omnibus se immiscent negotiis, qui magno conatu
 magnas nugas agunt. Est autem *Ardelio*, ab *ardeo festino*.
 teste Nonio. *Trepid.]* Cum dubitatione & incertitudine pro-
 positi. Sch. Ang. *in a hurry.* *Gratis anh.]* Gratis, nullo
 com frustu sibi aliisve. *Anhel.]* Ad anhelationem usque
 cursitans. *Verâ]* Supra *fiētis fabulis* in Prologo, l. i. *At-*
tend.] Animum ad eam. *Petens]* Proficiscens ad Neapolim,
 urbem Campaniæ maritimam. *Misen.]* Expressè ad hanc
 rem Tacitus, Ann. 6. c. 50. *Mutatisque sæpius locis* (Tiberius)
tandem apud promontorium Miseni consedit in villâ, cui L. Lu-
cutillus quondam dominus. Fab. *Monte]* Miseno. *Prospicit]*
MS. perspicit, unde Gronov. Græv. Heins. *respicit.* vult fron-
 tem ejus in fretum, tergum in Etruscum mare versum fuisse.
 Gudius autem nihil mutat ; & ex Tacito veterem Lecti. de-
 fendit. l. 14. *Viam Miseni propter & villam Casaris, quæ sub-*
jectos sinus editissima prospektat. Quod tamen nihil probat,
 nisi per *subjectos Siculum & Tuscum mare intelligat.* *Alticinc.]*
 Gnavus,

Gnavus, & expediendis negotiis paratus; solutæ enim vestes impediunt corporis agilitatem. hinc *dijunctus*, ignavus & nequam dicitur. *Atrien.*] Quibus Atrii cura demandatur. *Linteo Pelusio*] Ægyptiaco. Pelusium enim oppidum Ægypti, ubi linteæ fiebant vestes. Anglicè, *Shash*. *Destrieta*] Ad inferiora stricta; ut sit sensus: tunicam ab humeris demilisse ad ilia, ibique adstrinxisse linteo, ne madefieret inter aquæ spansionem, pectus brachiaque habuisse nuda. Schef. *Cirrus*] Salmas. *Cirri fimbrias significant, quæ per extimam vestis oram dependent.* Mihi tamen cirri illi linteo, non tunicæ adnexi videntur, idque in imis partibus. Anglicè, *fringes*. *Domino*] Imperatore Tiberio. Imperatores enim Domini vocabantur. *Viridia*] Idem quod *viridaria*. *Alveolo lig.*] *Wooden Scoop.* *Come offic.*] Ministerium urbanum. *complaisant.* *Notos fl.*] Per nota viarum compendia. *Xystum*] Locum deambulationibus faciendis adornatum, confitis utrinque platanis. *Agn.*] Animadvertit, meminitque eundem esse, quem prius sedantem pulveris æstum viderat. *Remque*] Quid sibi velit homo, per istam officii sui jactantiam. *Id ut put.*] Dumque Atrienſis putavit id (nimirum se à Cæsare agnosci, & propositum intelligi) nescio quid boni sibi allaturum, interea dum ita secum cogitavit, à Cæsare advocatus est. *Donati.*] Exultans gaudio, ut qui certam animo spem præceperat, fore ut Cæsar aliquo illum munere donaret. Gadius quidem hîc æstuat, & legit *Donationis, alapæ certe, gaudio.* Præ gaudio donationis alicujus, libertatis nempe ad minimum. quia tamen favent nihil libri, constatque sensus, nec ego quicquam muto. *Non mul.*] Urcunque officium jactas, leve tamen est, quod fecisti. vel, parum profecisti. *Opera nequic.*] Nota brevitatem Phædri. pro *opera nequicquam* impensa. *Mecum*] Domi meæ. meæ domus ea est disciplina, ut non tam facile, tamque parvo servi manumittantur. Gron. *Alapæ*] Libertas, acceptâ enim a Dominis alapâ servi fiebant liberi.

F A B. VI.

Potentiam malitiâ adjutam quis effugiat?

AQUILA; CORNIX, & TESTUDO.

CONtra potentes nemo est munitus satis:

Si verò accessit confiliator maleficus,
Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.

¶ Aquila in sublime sustulit Testudinem,
Quæ quum abdidisset corneâ corpus domo,
Nec ullo pacto lædi posset condita,

Venit per auras Cornix, & propter volans:

C. *Opimam sanè prædam rapuisti unguibus,
Sed nisi monstrâro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere.*

Promissæ parte, fuadet ut scopulum super
Altis ab aëtris duram inlidat corticem,

Quâ comminutâ facilè vescatur cibo.

Inducta verbis Aquila, monitis paruit,

Simul & magistræ largè divisit dapem.

Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,

Impar duabus occidit tristi nece.

Acces.] Ad potentium partes adjunget se. *Vis*] Praschius
iâ legit. *Vis & nequitia*, quicquid oppugnat, ruunt. vel ruit.
pro, roruat, adfligit, a sive. sed nulla causa est. quare veterem
loco moveamus lectionem. nec res, nec ratio, nec libri
sudent. *Subli.*] Cœlum. *Abdid.*] E conspectu homi-
num amovisset. *Corneâ*] Durâ in testâ. *Condita*] Sic con-
dita. *Trop.*] Prope aquilam. *Opimam*] Magnificam, no-
bilem, pinguem. *Quâ commi.*] Quâ cortice in *minutas* par-
tes trahâ. *Cor.*] Nota tò cortex foeminini generis. *Induc.*]
Ad credendum. *Verbis*] Gronovius. *veris.* sanè benè. Nec
in n autuz mutare. *Impar*] Inferior duabus robore. not
a match.

FAB. VII.

Plura timenda divitibus.

MULI & LATRONES.

MUli gravati farcinis ibant duo ;
 Unus ferebat fiscos cum pecunia,
 Alter tumentes multo faccos hordeo.
 Ille onere dives celsa cervice eminens,
 Clarumque collo jactans tintinnabulum : 5
 Comes quieto sequitur & placido gradu.
 Subitò Latrones ex insidiis advolant,
 Intérque cædem ferro mulum tonsitant.
 Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
 Spoliatus igitur casus quum fleret suos, 14
 Equidem (inquit alter) me contemptum gaudeo,
 Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.
 Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
 Magnæ periculo sunt opes obnoxia.

Fiscos.] Corbes Sparteos, & vimineos. *Celsâ*] Altam cervicem elevans ibat. *cervix.* illa pars equi, unde pendet juba.
Collo] Collum, pars interior, sub quâ tintinnabulum pendet.
Comes] Alter mulus cum hordeo. *Advol.*] Verbum elegans, quo ardor & cupido nimia pecuniæ eripiendæ significatur.
Cadem] Eorum nempe qui mulos agebant. *Tonsitant*] V. Cod. quod jure præferatur vel *trufitant*, vel *tusitant*. tonsitant, Anglicè, *Slafy*. *Magnæ*] Ità vet. Editi. non *magna*. recte.

F A B. VIII.

Plus videas tuis oculis quàm alienis.

CERVUS & BOVES.

Cervus nemorosus excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,
 Cæco timore proximam villam petit,
 Et opportuno se Bovili condidit.
 Heic bos latenti : *B. Quidnam voluisti tibi,* 5
Infelix ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris ?
 At ille supplex : *C. Vos modò, inquit, parcite,*
Occasione rursus erumpam datâ.
 Spatium diei noctis excipiunt vices ; 10
 Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
 Eunt subinde & redeunt omnes rustici,
 Nemo animadvertit : transit etiam villicus,
 Nec ille quicquam sentit ; tum gaudens ferus
 Bobus quietis agere cœpit gratias, 15
 Hospitium adverso quòd præstiterint tempore.
 Respondit unus : *B. Salvum te cupimus quidem,*
Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periculo vita versatur tua.
 Hæc inter, ipse dominus à cœna redit : 20
 Et quia corruptos viderat nuper Boves,
 Accedit ad præsepe : *D. Cur frondis parum est ?*
Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
Quantum est laboris ? Dum scrutatur singula,
 Cervi quoque alta est conspicatus cornua ; 25
 Quem convocatâ jubet occidi familiâ,
 Prædâque tollit. ¶ Hæc significat fabula,
 Dominum videre plurimùm in rebus suis.

Venatorum necem] A venatoribus jam inferendam. L. I. 14. ut *expiarentur legatorum injuriæ*, i. e. legatis illatæ. *Cæco*] Quia cæcos facit; timor enim, ut stultitia, dum vitat periculum, in pejus currit. *Oppor.*] Quod se commodè offerebat. *obvio.* *Bovi.*] MS. *bobili*, scribendum verò *bubili*. *bubile* ut & *bubulcus*, est à tertio plurali *bubus*. Varro. Vitruv. Glossæ exhibent. *bubile.* *Cocceionov.* Gudianus. *Hominum*] Tibi maximè infensorum. *Tecto*] Roof. *Spatium*] Quia Sol suum exigit cursum interdiu. *Vices*] Nox suâ vice reversa excipit, & succedit diei. *Adf*] Ad præsepe. *Animad.*] Cervum latitantem. *Villicus*] The Steward of the Villa. *Quietis*] Tacitis, nec latentem prodentibus. *Præsti.*] Securum reddiderint. *Ille*] Herus. *Corrup.*] Sordidos & macilentos, sordidos, quia deerant stramenta. macilentos, quia non frondis satis erat. *Frondis*] Frondibus boves saginari solebant. Cato. Horat. *Stramen.*] Mallem hujus loci sententiam erigere adjectâ interrogatione. inquit Schefferus. At vel ipsæ remissiones iræ vehementiorem nonnunquam indicant iram. Ironiam sapiunt, quæ pessimis viris optima addit nomina, irâ tamen ut omnem abesse illis probitatem intelligas. *Aranea*] Hoc *araneum*. Subaud. *textum*. vel *opus*. *araneus* enim adjectivum est. *Quantum*] Heinſ. *quanti*. *Tollit*] Heinſ. *tollit*. *Familiâ*] Famulis convocatis.

F, A. B. IX.

Epilogus.

INVIDIA VIRTUTUM COMES.

ÆSOPI ingentem statuam posuere Attici,
 Servumque collocarunt æterna in basi,
 Patere honoris scirent ut cuncti viam,
 Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
 Quoniam occuparat alter nè primus forem, 5
 Nè solus esset studui, quod superfuit:
 Nec hæc invidia, verum est æmulatio.
 Quod si labori faverit Latium meo,
 Plures habebit quos opponat Græciæ.
 Si livor obtrectare curam voluerit,

Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
 Et arte fictas animus sentit fabulas,
 Omnem querelam submovet felicitas.
 Sin autem doctus illis occurrit labor,
 Sinistra quos in lucem natura extulit,
 Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
 Fatale exitium corde durato feram,
 Donec Fortunam criminis pudeat sui.

15

Æsopi] MSS. lectio. Editi *Æsopo*. quod nescio quomodo non æque mihi arridet. Gadius. *Æsopi ingenio*, legit. at prior lectio simplicitatem habet gratissimam. *Servum*] Licet esset servus. nempe quia his concessus iste honor non fuit. *Æternâ*] Respectu propositi Atheniensium. æternam enim fore optabant. *Hono.*] V. C. homini. forte *nomini*, quod idem est cum *Honoris*. postponendum autem *τῷ* *scirent*, ne versus claudicaret. Heins. *Quoniam*] Quoniam *Æsopus* ante me scribendo impediverat, quo minus forem primus fabulator, operam dedi ne solus esset sine æmulo & imitatore, quod unum mihi supererat agendum. *Latium*] Latini, Romani. *Plu.*] Scriptores, meo exemplo impulsos. *Gracia*] Quos Græcis scriptoribus comparent, & in ingeniorum certamine ut pares in aciem educant. *Livor*] Invidi. *Obtrec.*] MS. *objectare* non male. *Curam*] Scripta diligenter opera. labores doctos. *Eripi.*] Mihi. *Consci.*] Conscientiam laudis mihi debitæ. vel meritorum meorum conscientiam. *Lasu* enim est idem quod *virtus*, quidvis laude dignum. *Arte*] Artificiose. *Sentit*] Gustat, rectè capit. *Omnem que.*] Omnem querendi occasionem. *Sub.*] Longè amovet, tollit. *Felici.*] Quâ talem nactus sum lectorem; qui & artem intelligit & ex eâ delectationem capit. *Occur.*] Ad manus pervenit. *Sinis*] Maligna. *Possunt*] Subaud. facere. *Fatal. exit.*] Malum à fatis illatum; vel, malignitatem invidorum exitiosam & fato quodam inevitabili additam bonis & præclaris. Gronov. corrigit. *vitium*. non malè. *Dura.*] Obfirmato & adversus talia obstinato. *Fort.*] Quia vir bonus infelix fortunæ crimen est. donec ipsa fortuna suum diluat crimen, & mihi magis benevola fiat. ut verum tamen fatear, non satis video, quis sensus insit verbis ut nunc sunt; atque adeo *Naturam* loco *τῷ fortunam* legendum conjeci. donec naturam, nempe illam sinistram, pudeat sui criminis, quæ tam malevolos in lucem protulit; & ipsi invidi suam exuant malignitatem.

PHÆDRI FABULARUM.

LIBER III.

PHÆDRUS ad EUTYCHUM.

PHædri libellos legere si desideras,
 Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
 Ut liber animus sentiat vim carminis.
*Verùm, inquis, tanti non est ingenium tuum,
 Momentum ut hora pereat officii mei.* 5
 Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
 Quod occupatis auribus non convenit.
 Fortassè dices: *Aliquæ venient feriæ
 Quæ me soluto pectore ad studium vocent;* 10
 Legesne, quæso, potiùs viles nænias,
 Impendas curam quàm rei domesticæ,
 Reddas amicis tempora, uxori vaces,
 Animum relaxes, otium des corpori;
 Ut adsuëtam fortiùs præstes vicem? 15
 Mutandum tibi propositum est, & vitæ genus,
 Intrare si Musarum limen cogitas.
 Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,

52 PHÆDRI FABULARUM

patria, divitiarum contemptus, laudis autem acres stimuli. *Quid cred.*] Quomodo fiet ille doctus? vel, si ego ægrè recipior, ille certè rejicitur. *Quodcunque fu.*] Sinonis oratio in 2 Æneide Virgil. sic incipit, *Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcunque fatebor.* sensus autem utrobique hic est. quicumque fuerit eventus. legeris, necne, tamen exarabo, &c. *Reg.*] Priamum Trojæ regem, quæ Dardania fuit vocata. *Stylo*] Non audiendus est Schefferus; qui *stylo* cum *exarabo* conjungit. *Stylus* enim *Æsopi* nihil aliud est nisi genus scribendi *Æsopium*. *morem servabo senis*, alibi. *Minus*] Non legeris. *Certe*] Saltem. *Servit.*] *Æsopus servus.* *Obnox.*] Alieno arbitrio subjecta. *Affectus*] Omnes casus, qui venerant, omnem injuriam, quâ afficiebatur, fabellâ ultus est. *Calumn.*] Calumniatores, eorumque malitiam. *Elus.*] Evasit, effugit, & ingenii sui versutiâ irritam & innocuam fecit. *Ego porro ill.*] Gadius conjicit, *Æsopi illius*, &c. *feci autem viam* explicat *profectus sum.* *Æsopi illius* vestigiis ipse institi. forte etiam legi posset, *ego illius pro semita.* eo sensu quo Martialis, L. 7. Epig. 60. *Et modò quæ fuerat semita, facta via est.* *Cogit.*] Excogitavi, inveni. *In calam.*] Ad exprimendam & consolandam meam calamitatem. *Sejano*] *Sejano* pro à *Sejano*, i. e. quàm *Sejanus*. *Judex*] Malè *Schioppius index.* *Sejanus* enim partes accusatoris, testis & Judicis sustinuit, in cujus odium incidit *Phædrus*. *Rapiet*] Quamvis illum notare mihi in animo non fuit. *Nudab.*] Animum malè sibi conscium prodet & omnibus exhibebit. *Nihilom.*] Quia inductus suspitione sic conscientiam nudavit, adeoque stultitiam, culpæque detexit. *Nota.*] Infamiæ notam huic vel illi inurere, hunc vel illum reprehendere. *Fors*] Olim *forsan* & *forsitan*, utrumque pro *fors*. *Anach.*] Philosophus carpendi libertate insignis. *Condere*] Sibi comparare, extruere. *Deseram*] Omittam ornare, promovere. *Threissa quum*] Maxime cum *Thracia*, non minus quam *Græcia*, multos habeat auctores suos. *Linus*que & *Orpheus* ipsi *Thraces* *Græciam* primi literis excoluerint. *Musa*] *Calliope*. *Hebri*] *Hebrus* fluvius *Thraciæ* rapidus, ubi *Orpheus* periit à *Moenadibus* discerptus. *Frustrâ*] Nimirum cum meam famam lædere non valeas. *Solennis*] Solita; qualis *Lino* & *Orpheo* olim. *Induxi*] Scio me his quæ dixi compulsisse ut legas. Tu verò candidè ut soles, & sincere judices.

F A B. I.

Rei bonæ vel vestigia delectant.

A N U S ad A M P H O R A M.

ANus jacere vidit epotam amphoram,
 Adhuc Falernâ fæce & testâ nobili
 Odorem quæ jucundum latè spargeret.
 Hunc postquam totis avida traxit naribus :
O suavis anima ! qualem te dicam bonam
Antehac fuisse, tales cum sint reliquæ ?
 Hoc quò pertineat dicet qui me noverit.

Falernâ.] Ordo verborum hic est. *quæ amphora adhuc spargeret latè odorem jucundum*, orientem à *Falerni vini fæce & testâ nobili*, titulo nimirum vini tam celebrati insignitâ. ad quæ tamen verba sic Gudius. *Odor ille à Falernâ fæce*, an etiam à *testâ*, ut copulativa videtur velle ? Imo verò è *testa nobili*, quemadmodum scribendum est. *Testa nobilis* dicitur propter materiam. *fæx Falerna odorem spargens* est contentum, altera verò *testa* est continens, ex quâ spargitur. facillimè autem à librariis *tâ* e additum est *t*, litera proximè sequens. *Avida]* V. C. Pith. *avita*, pro *avida*. nec opus est Heinlianâ conjecturâ *avidè attraxit*. *Totis]* Patentibus. vel ambabus. *Anima]* Ipsam Amphoram videtur anus vinolenta blandulè compellare. *Qualem]* Multi multa ad hunc locum ? Faber. legit. *Bona*, in vocativo. malè, quia præcesserat. O *Suavis*. Gronov. *quantum bonam*. longius abest à veteri scripturâ. Prasch. *quam tete*. displicet eadem de causâ. Explicat Schef. *qualem te dicam*, quæ tam *bona* es, &c. durum hoc & frigidum. Heins. *quale bonum*. non malè. propriùs tamen veteri lectioni Gudius, *quale in te dicam bonum*. quod sic explicat. devota vino vetula amphoram veluti corculum amplexa, O *suavis animula !* inquit, quales delicias, quale bonum in te dicam antehac fuisse, &c. *Me]* Suam innuit Phædrus etiam senectutem esse jucundam,

F A B.

F A B. II.

Benefico benè erit.

PANTHERA & PASTORES.

SOlet à despectis par referri gratia.
 ¶ Panthera imprudens olim in foveam decidit.
 Videre agrestes : alii fustes congerunt,
 Alii onerant faxis : quidam contra miseriti,
 Perituræ quippe, quamvis nemo læderet, 5
 Misere panem, ut sustineret spiritum.
 Nox insegura est, abeunt securi domum,
 Quasi inventuri mortuam postridie.
 At illa vires ut refecit languidas,
 Veloci saltu foveâ sese liberat, 10
 Et in cubile concito properat gradu.
 Paucis diebus interpositis, provolat,
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
 Et cuncta vastans sævit irato impetu.
 Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant, 15
 Damnum haud recusant, tantum pro vitâ rogant.
 At illa ; *Memini qui me saxo petierint,
 Qui panem dederint : vos timere absistite ;
 Illis revertor hostis qui me læserant.*

Gratia] Comicè dictum. *Imprud.*] Non providens.
Foveam] a *Bit-trap*. *Alii onerant*] Ut versus constet, requiritur in prima sede ~ ~ ~ ~ *alii onè.* sic Gadius. rectè quidem, si duplex *i* in *alii* non possunt in unum coalescere; quod tamen frequens, & rem conficit. quinetiam nullibi apud Phædrum occurrit pes tetrasyllabus, quod scio. *Perit.*] Pendet a *miseriti*. *miseriti* Pantheræ quippe perituræ (fame, credo) quamvis nemo fustibus & faxis læderet. *Susti.*] Panis. *Sequ.*] Agrestes curâ vacui. *Inven.*] Subaud. *essent.* *Foveâ*]

veâ] *E foveâ.* eleganter autem *liberat*, quia ibi erat capta.
Provocat] *Cubili* sc. *Concito*] *Furore* & *vindictæ studio.*
Haud recus.] *Grudge not.* *Dammum*] *Jacturam pecorum.*
Pro vitâ] *Pro se, personis suis.* *Latinitas* verò non debet esse
suspecta cuiquam. Sic enim *Tullius*, aliique. *pro meâ vos sa-*
lute, &c. *Cic. de reditu suo.* *Schef. Heins.* MS. *prumpta.* fortè
promerita. *Gudius.* *At illa*] Sic *Heinsius.* olim et. *Mem.]*
Eorum sc.. *Timere*] *Leg. timore.* *Gudius.* *Illis*] *Vicè*
genitivi post hostis. vel, quod magis placet, *hostis* induere vide-
tur naturam adjectivi, nempe, *hostilis illis, infensus.* *Læse-*
rant] MS. *læserunt.* rectè.

F A B. III.

Experientia præstantior arte.

ÆSOPUS & RUSTICUS.

USU peritus hariolo velocior

Vulgò esse fertur : *Causa* sed non dicitur :
Notescet quæ nunc primum *fabellâ* meâ.

¶ *Habenti* cuidam *pecora* pepererunt *Oves*

Agnos humano capite : *monstro* exterritus

5

Ad consulendos *currit* mœrens *hariolos.*

Hic pertinere ad *domini* respondit *caput,*

Et avertendum *victimâ* *periculum.*

Ille autem *affirmat* *coniugem* esse *adulteram,*

Et *insitivos* significari *liberos ;*

10

Sed *expiari* posse *majori* *hostiâ.*

Quid multa ? *variis* *diffident* *sententiis,*

Hominisque *curam* *curâ* *maiore* *aggravant.*

Æsopus *ibi* *stans* *naris* *emunctæ* *senex,*

Natura *nunquam* *verba* *cui* *potuit* *dare :*

Si *procurare* *vis* *ostentum,* *rustice,*

Uxores, *inquit,* *da* *tuis* *pastoribus.*

Usu] *Experientiâ* *vir* *instructus* *vulgo* *fertur* *animo,* *ingenioque* *esse* *promptior,* *celeriorque* *quàm* *Hariolus* *&* *predigio-*
rum *interpres.* *Velocior*] *Ingenio* sc. *Velocitas* *autem* *cor-*
poris,

56 PHÆDRI FABULARUM

poris, celeritas appellatur, quæ eadem etiam ingenii laus habetur; propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. Cic. 4. Tuscul. 13. Ovid. 8. M. 133. Juvenal. Ingenium velox. Gron. Velox, de ingenii acumine dicitur. Glossæ. *ἀξύς. catus, acutus, velox.* Colloquium Vetus Latino-Græcum. pueri ut eorum ingenium erat, in duas classes separatim docebantur. *ἢ δὲ τοὺς τῆς ἐξέσεως καὶ τῆς ταχύτητος.* Gudius. *Sagacior, vel doctior* Heintius. *felicior.* Gudius. *Causa*] Nempe unde natum est hoc vulgi dictum. Hæc autem fabellâ causam exponit & ortum illius proverbii. MS. vulgo causâ fertur, sed non. *Exterritus*] Forte *terrītus.* Gudius. non video causam mutationis. *Hic*] Unus Hariolus. *Caput*] Vitam. quia præcessorat *humano capite* idè sic loquitur. *Aver.*] Propulsandum. Solenne hisce in rebus verbum. *Victi.*] Intelligit taurum. ut docet Scalig. ad Caral. Virg. Schef. *Ille*] Alter Hariolus. *Infiti.*] Alienæ familiæ per dolum infitos. aliunde petitos, nec suo solo nascentes. *Majori*] Respectu ætatis; opponuntur enim lactentibus. Cicero de L. L. 2. *quibus hostiis immolandum cuiq; Deo, cui majoribus, cui lactentibus, &c.* *Quid m.*] Propter quid multa verba loquar? *Majo.*] Propter incertitudinem interpretationis, adeoque remedii. *Emunc.*] Nullis sordibus refertæ, atque adè ad odores percipiendos magis aptæ. a sensu ad animum transfertur, nam ut *perspicax* ille dicitur, qui oculos habet acutos, & qui animum quoque prudentem, & faciliè intelligentem habet; sic *sagax*, qui habet nares emunctas, & qui animo rem subodorari & indagare valet. *Verba dare*] Externâ specie fallere. *Pro.*] Idem quod, *expiare.* paulo suprâ. *Pasto.*] Innuit Æsopus pastores cum ovibus coisse, datis verò uxoribus, desituros.

F A B. IV.

Mentem hominis spectato non frontem.

S I M I I C A P U T.

PEndere ad Lanium quidam vidit Simium
 Inter reliquas merces atque opsonia.
 Quæsiuit quidnam saperet, tum Lanius jocans:
 Quale (inquit) caput est, talis præstatur sapor.

¶ Ridiculè magis hoc dictum quàm verè æstimo,
Quando & formosos sæpè inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Ad Lan.] Apud lanium. in lanii officinâ. *Quidam vidit]*
Quidam ut vi. Heinf. *Reliquas]* Ita legendum rectè monuit
Faber. est enim quatuor syllabarum. *Quidnam sap.]* Quem
saporem habuit. *Præstatu]* Talem in me recipio fore sapo-
rem. *Præsto enim,* Anglicè, *to warrant.* *Ridicu.]* Jocosè.
ad excitandum risum. *Inveni]* Obiter nempe, aliud agendo
deprehendi; prodit enim se facile nequitia. *Cognovi]* Longo
usu, & experientiâ tandem sensi. Nam ut Sophocles:

Χεῖν ὁ δῖτατον ἀνδρα δεινυσιον μόνῳ,
Κακὸν δ', καὶ ἐν ἡμέρα γνοῖνς μῆ.

FAB. V.

Erit ubi pœnas det procaꝝ audacia.

ÆSOPUS & PETULANS.

Successus ad perniciem multos devocat.

¶ Æsopo quidam petulans lapidem impegerat,
Tanto (inquit) melior; assem deinde illi dedit,
Sic prosequutus: *Plus non habeo me hercule,*
Sed unde accipere possis monstrabo tibi. 5
Venit ecce dives & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille fecit quod monitus fuit.
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprehensus namq; pœnas persolvit cruce. 10

Asulos]

Multos] V. C. Pith. *sæpe multos. sæpe* Glossema τὴ multos. Heinl.] *Devo.*] V. L. i. f. 20. *Petulans*] Qui gaudet lædere alios. petulantes, & petulci, qui protervo impetu & crebro petunt, alterius lædendi gratiâ. Schef. *Impe.*] Non tantum, jecit lapidem, sed & ictum pertulit, percussit. *Tanto*] Melior. laudandi formula & approbandi apud veteres. contra autem. *tanto nequior.* est & alia apud Ovidium paulo diversa. *tanto potentior.* V. Ter. in Adelphis. Plautus. in Trucu. in Menœchm. in Persa. Sermo autem est ellipticus. *tanto negotio commisso melior es factus.* Sch. Fab. Gron. *Prose*] Sic *verbis factum* profecutus, vel *donum.* *Accip.*] Mirè delectat Æsopi artificium, deludentis impudentem virum ambiguis dictis, & quæ, si sapuit, magis deterrerent quam horraientur. *accipere* reticet quid accepturus esset. *Potens*] Cui potestas est, nimirum puniendi. *Dignum*] Non amplum, ut ille sperabat, sed dignum meritis, suæque impudentiâ. *Per solvit*] Ad ultimum quadrantem, ut aiunt, ea enim vis est τὴ per.

F A B. VI.

Ridenda imbecillorum superbiloquentia.

M U S C A & M U L A.

MUSCA in temone fedit, & Mulam increpans,
Quàm tarda es, inquit: non vis citiùs progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
 Respondit illa: *Verbis non moveor tuis,*
Sed istum timeo, sellâ qui primâ sedens 5
Fugum flagello temperat lento mecum,
Et lora frænis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolum insolentiam:
Namque ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.
 ¶ *Hac derideri fabulâ meritò potest,* 10
Qui sine virtute vanas exercet minas.

Incep.] Acriter objurgans. *Vide, ne*] Ultimâ in *Vide* corripitur. quod Gudius quoque observavit. *Dolo.*] Per factum de aculeo suo sic loquitur. *dolon* enim propriè gladius aut cuspis ferrea in baculo recondita Schef. Anglicè, *Tuck.* *Comp.*] Vehementer pungam. *Morveor*] Eleganter. hîc enim *morveor* tum primarium tum mutuatum continet sensum. *Primâ*] *fore-seat, Coach-box* *Fugum temp.*] Solutius arctiusve regit pro lubitu. *Lora*] Grævius legit. *ora frænis continet.* lectio quidem expedita & concinna; quis tamen ipsissima esse Phædri verba dicere audeat, cum & hæc, ut nunc sunt, bene se habeant? *Lorum* est illa pars, quæ manu equitis tenetur, *frænum* autem illa pars quæ inseritur ori. arctè tenet lora, quibus fræna spumantia adnectuntur. *Frivo.*] Vanam, cui nullæ subsunt vires, *groundless.* *Strig.*] Morandum, interquiescendum. *Virtute*] Viribus.

F A B. VII.

Liber inops servo divite felicior.

C A N I S & L U P U S.

QUAM dulcis sit libertas breviter proloquar.

¶ Cani perpasso, macie confectus Lupus

Fortè occurrit : salutantes dein invicem

Ut restiterunt : L. Unde sic quæso nites,

Aut quo cibo fecisti tantum corporis ?

5

Ego qui sum longè fortior, pereo fame.

Canis simpliciter : Eadem est conditio tibi,

Præstare domino si par officium potes.

L. Quod ? inquit ille. C. Custos ut sis liminis,

A furibus tuearis & noctu domum.

10

Ego verò sum paratus : nunc patior nives,

Imbresque, in sylvis asperam vitam trahens,

Quantò est facilius mihi sub tecto vivere,

Et otiosum largo satiari cibo ?

C. Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit

15

I

Lupus

62 PHÆDRI FABULARUM.

chritudine deformitatem obruas. Sic apud Curtium, 8. c. 3^o
vicit gratiam meriti sceleris atrocitas. Bonis] Opponitur
malis. quod præcedit.

F A B. IX.

Fidelem ubi invenias virum ?

S O C R A T I S D I C T U M.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.

¶ Quum parvas ædes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiæ, dummodò absolvar cinis)

E populo sic nescio quis, ut fieri solet :

5

Quæso tam angustam talis vir ponis domum ?

Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

Non fugio] Amplecti paratus sum. *Invidiæ]* Quâ nobis invidetur. *Facile patior me circumveniri & vel damnari atque occidi ab invidis, ut Socrates, dummodo post mortem iudicer innocens fuisse.* Gronov. *Cinis]* Cum cinis factus fuero. *Nescio quis]* Subaud. dixit. *Talis]* Tu talis vir cum sis. talis pro tantus.

FAB.

F A B. X.

Ne sis credulus, maximè criminatori.

RES GESTA SUB AUGUSTO.

PERiculofum est credere & non credere,
 Utriusque exemplum breviter exponam rei.
 Hippolytus obiit, quia novercæ creditum est :
 Cassandræ quia non creditum, ruit Ilium.
 Ergo exploranda est veritas multùm priùs, 5
 Quàm stulta pravè judicet sententia.
 Sed fabulosa ne vetustate elevem,
 Narrabo tibi memoriâ quod factum est meâ.
 ¶ Maritus quidam quum diligeret conjugem,
 Togamque puram jam pararet filio, 10
 Seductus in secretum à liberto suo
 Sperante heredem suffici se proximum :
 Qui dum de puero multa mentitus foret,
 Et plura de flagitiis castæ mulieris,
 Adjecit id quod sentiebat maximè 15
 Doliturum amanti, *ventitare adulterum,*
Stuproque turpi pollui famam domûs.
 Incensus ille falso uxoris crimine,
 Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
 Subsedit, deinde noctu subito januam 20
 Intravit, rectâ cubiculum uxoris petens,
 In quo dormire mater natum jusserat,
 Ætatem adultam servans diligentius.
 Dum quærunt lumen, dum concursat familia,
 Iræ furentis impetum non sustinens 25
 Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
 Ut sentit tonsus, gladio pectus tranfigit,
 Nihil respiciens dum dolorem vindicet.

4 PHÆDRI FABULARUM

Lucernâ adlatâ, simul aspexit filium,
 sanctamque uxorem dormientem cubiculo, 30
 hospita primo quæ nil somno senserat :
 Repræsentavit in se pœnam facinoris,
 Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
 Accusatores postularunt mulierem,
 Romamque pertraxerunt ad Centumviros. 35
 Maligna insontem deprimit suspicio,
 Quòd bona possideat. Stant patroni fortiter
 Causam tuentes innocentis fœminæ.
 A Divo Augusto tunc petiêre iudices
 Ut adjuvaret jurisjurandi fidem, 40
 Quod ipsos error implicuisset criminis.
 Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
 Certumque fontem veritatis repperit.
Luat (inquit) pœnas causa libertus mali,
Namque orbam nato simul & privatam viro, 45
Miserandam potiùs quàm damnandam existimo.
 Quòd si damnanda perscrutatus crimina
 Paterfamilias esset, si mendacium
 Subtiliter limasset à radicibus,
 Non evertisset scelere funesto domum. 50
 ¶ Nil spernat auris, nec tamen credat statim,
 Quandoquidem & illi peccant quos minimè putes ;
 Et qui non peccant impugnantur fraudibus.
 Hoc admonere simplices etiam potest,
 Opinione alterius ne quid ponderent :
 Ambitio namque dissidens mortalium,
 Aut gratiæ subscribit, aut odio suo.
 Erit ille notus, quem per te cognoveris.
 ¶ Hæc executus sum propterea pluribus,
 Brevitate nimiâ quoniam quosdam offendimus.

Obiit] M^o. obit. Novem] Phædræ. Credit.] A Thesæo.
Explo. multum] Diu & accuratè expendenda, consideranda.
Stulta præ.] Priusquam sententia alicui stulta, utpote nullo
nixa fundamine, pravum & iniquum proferat iudicium. Judi-
ces,

ces, præfert Heins. & Guætuſ. Ne] Poſt *ne* Præſen. Gudi. inferunt *hæc*. invitis codicibus. *Fabu.*] Ne fabulis vetuſtis (amat enim abſtracta pro concretis Phædrus, nec ultra monere opus eſt.) tantum allatis detrudere videar de viribus & veritate prioris ſententiæ. *Puram*] *Plain, without Trimming.* toga enim puerorum, donec quantum vel ſextum decimum annum attingerent, prætextam habebat purpuram. Sch. *Seduc.*] Subaud. eſt. Ritterſhuſius vidit, ac ideo *ſeducuſt* cenſuit ſcribendum. De ſententiâ huius loci nihil itaque eſt cur ulterius vel dubitent vel litigent docti. *Secret.*] Locum. non audiendus eſt Gudio qui, deleta *in ſecretum* utpote inepto, legit *infert letum* quia MS. Rem. *infertetom* exhibet. quid enim frequentius iſtis pleonaſmis? quantum in ſe habent elegantiam? ut ipſi Gudio, cum libet, placent? porro, quam malè hæc ſunt diſiſa temporibus tibi, Gudio, ſi prius inferat letum libertus, quam dolos tetenderat, ſuâ calumniâ maritum deceperat. *Suffici ſe.*] MS. *ſuffeciſſe*. malè. *ſuffici ſe*. i. e. ſe ſuffectum iri. *Ventit*] *εὐλαῖα*. *Uxoris cri.*] Criminatione, accusatione. *Subſedit*] Quali in infidiis. ut venatores faciunt, vel hoſtes. Liv. l. 1. *Partem militum ſubſidere in infidiis iuſſit.* *Adultam*] Filium adultum, adeoque vitiis magis obnoxium, obſervans diligentius. *Concuſant*] Sic MS. rectè. *familia*, enim plures denotat. *Suſti.*] Non valens retardare. ablatus impetu iræ ad furorem jam evectæ. *Tonſum*] Nempe, ſicut viri conſueverant. ſolebant enim pueri alere capillos, & cum ad virilem veniſſent ætatem detonſos conſecrare Diis, indeque tonſo ſemper eſſe capite. Prohibet enim lex virum eſſe comatum. Schef. *Reſpic.*] Curans, penſi habens. *Dolor.*] *Reſentment.* *Simul adſp.*] Salmaſ. ſimul ac ſpexit. *Sopita*] Altum dormiens, ut cui ſomnus recens erat. Unde Plin. 21. c. 18. *huius ſemine aiunt ſomnum allici, ſed modum ſervandum, ne ſopor fiat.* Schef. *Repreſenta.*] Repräſentare pecuniam. Anglicè. *to pay down upon the ſpot.* hæc ſolennis vox, cum de pœnâ ipſum factum illico conſecutâ fermo eſt. Gudio. *Credu.*] Credulis ille. *Poſtula*] *Sued.* poſtularunt ad iudicium venire. *Centumv.*] Iudices erant apud quos agebantur cauſæ graviores, inde centumvirales dictæ. *Suſpicio*] Gudio *ſuſpectio*. ita quidem metrum poſtulat: itaque alibi vetuſtiſſimi codices diſertim ſcribunt, cum tamen editi nunc exhibeant *ſuſpicio*. *Bona*] Minor enim eſſet ſuſpicio, ſi nullus exinde ſibi provenerat fructus. *Adjuva.*] Iurati enim Senatores ſententiam ferebant; ſi vero aqua ipsis hæeret, neque fatiſ liqueret quid veri eſſet in re, quâ de agebatur, tunc Imperatoris iudicium exquirebant. Fab. ut ſuâ prudentiâ adjuvaret eos ad implendam & præſtandam iurisjurandi fidem. *Error*] Ambiguitas. *Implicu.*] Incertos, quid iudicarent, reddidiſſet.

66 PHÆDRI FABULARUM

Ipsos] Quantumvis iudices constitutos. *Teneb.*] Calumniam obscuritate involutam detexerat. *Damn.*] Ingrata repetitio: hinc variæ conjecturæ. *clam tanta.* Schef. *tam infanda,* vel *temnenda.* Gudius. *delata* Hoadleius nostras. *damnanda* enim irrepsit ex præcedente versu. *Minim.*] Peccaturos subaud. *Impug.*] Attendantur, impetuntur fraudulentis calumniis. *Ne quid*] MS. *ne qui sponderet.* *Prasch.* *nequis pendeat.* *Ponder.*] Æstiment.

F A B. XI.

Deformitas dolenda quæ ex merito venit.

EUNUCHUS ad IMPROBUM.

EUnuchus litigabat cum quodam improbo :
 Qui super obscœna dicta & petulans jurgium,
 Damnum infectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi, 5
Sed quid fortunæ, stulte, delictum arguis ?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

Super] Præter. *Dicta*] Diſteria, jocos. *Petulans*] *Provoking.* *Infect.*] Acriter objecit. *Amissi*] Omnes ad hunc locum, quasi ad ulcus muscæ; *Praschius.* *abscissi,* vel *amissi roboris.* Schefferus, *accisi,* vel *excisi.* qui tamen post, Gronovio monitus, vulgatum retinet, *corpus* enim pro obscœnâ parte corporis. Horat. 1. Sat. 2. v. 43. *dedit pro corpore nummos.* ubi *Acro.* *corpore,* i. e. obscœnâ parte corporis. & ita Græcos *εὐνας* usurpasse docet Casaub. animad. in Athenæum, 1. 5. *Ait*] Eunuchus. *Hoc unum est*] Hoc illud unicum est (damnum nempe amissi corporis) quare tanto magis sollicitus sum, quia ipse solus sum mihi vindex, & *integritatis testes desunt mihi.* *Integ.*] Ludit in ambiguo sensu *integritatis,* dicitur enim *integer animi,* & *integer corpore.* ἀσθενέως. *Testes*] Dicuntur vulgò *testes,* per honestam ἐμελιάν, perpetuò enim intelligendum *integritatis* aut *virilitatis.* Faber. *Sed quid &c.*] Schef. putat hæc esse verba Phædri. Gudius. Eunuchi. *De-
 lictum*

lietum for.] MS. delectum, unde Gudius, Heinfi. legunt *defectum*, itaque interpretantur, Eunuchum quare infortunii sui accusas? Si quid mutandum esset, malle *defectum*. Juven. *secuit genitalia testâ?*

FAB. XII.

Optima sæpe despecta.

MARGARITA IN STERQUILINIO.

IN Sterquilinio pullus gallinaceus
 Dum quærit escam, margaritam repperit?
Faces indigno quanta res (inquit) loco:
O si quis pretii cupidus vidisset tui:
Olim redisses ad splendorem maximum.
Ego qui te inveni, potior cui multò est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
 ¶ Hoc illis narro qui me non intelligunt.

Sterquilinio] Salmaf. ad oram libri notaverat in *Sterquilino*, vel *Stercilino*. Nam veteres videntur declinasse *stercus sterco*, & *stercus stercoris*. & in antiquiss. codice Veneto Catonis & Varronis, nunquam *Sterquilinium*, sed semper *Stercilinum* scriptum esse olim docuit Petrus Victorius. Hinc autem natus est error, quia *c* & *qu* veteri pronunciatione nihil differebant. Gudius. *Quanta]* Quam pretiosa. Gudius & Heinfius legunt, *O quanta res.* *O si quis]* MS. Rem. & Pith. *Hoc si quis.* *Olim]* Jamdudum. *Ego qui te inve.]* Schefferus sic legit. *Ego qui te inveni?* potior cui multo est cibus. Gudius. *Ego qui te inveni potior cui multò est cibus?* quæ tamen lectiones mihi videntur æquabilem orationis tenorem prorsus tollere. nihil itaque mutò. *Prodesse]* Pendet à verbo *possum* subintellecto. *Potes]* *Nec mihi secundum quicquam*, i. e. ullatenus *potes prodesse.*

FAB. XIII.

Opus artificem probat.

APES & FUCI VESPA JUDICE.

Apes in alta quercu fecerant favos :
 Hos Fuci inertes esse dicebant suos.
 Lis ad forum deducta est, Vespâ judice :
 Quæ genus utrumque nosset cùm pulcherrimè,
 Legem duabus hanc proposuit partibus : 5
Non inconueniens corpus, & par est color,
In dubium planè res ut meritò venerit :
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite & ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis, & forma favi, 10
De queis nunc agitur, auctor horum appareat.
 Fuci recusant, Apibus conditio placet.
 Tunc illa talem sustulit sententiam :
Apertum est quis non possit, aut quis fecerit,
Quapropter apibus fructum restituo suum. 15
 ¶ Hanc præterissem fabulam silentio,
 Si pactam Fuci non recusassent fidem.

Iner.] ἄπρηνος. artis ejus imperiti. *Pulch.]* Optimè. pas-
 sim occurrit in Phædro, ut ex indice patebit. *Legem]* Con-
 ditionem. *Inconu.]* Non dissimile est vobis corpus. *Plane*
meri] Omnino meritò. vel. ut verum fatear merito res, &c.
Religio mea] Ego religione, i. e. jurejurando obstrictus peccem
 præ imprudentiâ. ita sanè multoties Phædrus loquitur. Si cui
 tamen displiceat, sic per me licet interpretatur. Ne meum
 juramentum mihi minus cauto lædatur. Judici verò religio
 tribuitur, propter jusjurandum, quo astrictus est, ut rectè Rit-
 tershusius notat. *Alvos]* Olim, *alveos.* contra Cod. MS.
Glossæ, alvus. ζασίη, νότος. Gud. Salm. Gron. quem vide ad
 Plin. l. 21. c. 12. *Opus]* Mel. *De queis nunc ag.]* De qui-
 bus favis nunc lis est. Solemnis formula. *Tunc illa talem*
sust.]

sust.] Ἀνεῖλε Faber, quod de oraculorum responsis usitatum. Rittershufius pro simplici tulit. Schefferus. pro *clarâ voce pronuntiavit.* ut Lucr. *liquidam tollunt lugubri voce querelam.* Heinſius, *tunc illa talem lis tulit sententiam.* Gudius non inconcinne, *Tunc lata litem sustulit sententiâ.* paucae tantum literae transpositae sunt. & MS. habet *sententiâ.* vulgatam tamen famam iudico, & *sustulit* alludere ad lapillos in urnam demissos. *Possit*] Facere. *Pactam*] Adjudicatam, propositam à vespâ conditionem, ut fidei indicem suæ. Hoc nemo, quod quidem scio, intellexit. *Fuci*] Illos intelligit, qui illius tibi vindicarunt versus. cum tamen ventum est ad examen, refugerunt detrectaruntque fidem pactam.

FAB. XIV.

Otiare, quò labores.

ÆSOPUS LUDENS.

PUerorum in turbâ quidam ludentem Atticus
 Æsopum nucibus quum vidisset, restitit,
 Et quasi delirum risit : quod sensit simul
 Derisor potiùs quàm deridendus senex,
 Arcum retensum posuit in media via : 3
Heus (inquit) sapiens, expedi quid fecerim.
 Concurrit populus : ille se torquet diu,
 Nec quæstionis positæ causam intelligit.
 Novissimè succumbit : Tum victor sophus :
Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris. 10
At si laxaris ; quum voles, erit utilis.
 ¶ Sic lus animo debent aliquando dari,
 Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Delirum] MS. delerum. derivatur autem à λῆρ. *Simul*] Pro *simul ac.* *Derisor*] Idoneus qui rideat alios, potius quàm dignus, cui ab aliis illudatur, quem alii irrideant. *Reten.*] *Unbent, unstrung.* *Sapi.*] Per ironiam. *Wiseacre.* *Expedi*] Explicata, expone, *unridde.* *Quid*] Præfatus quo, i. e. in

70 PHÆDRI FABULARUM

in quem finem. Scheff. retinet *quod. ob quod.* *Quæ. posita]*
προβλήματι Ⓞ. Cic. de Oratore. i. *sedebam otiosus & istiusmodi*
quæstionculas ponens. Sic. *πίθεται* apud Græcos. *Nov.] Tandem.* *Succ.]* Victum se fatetur, & ignarum. *Sophus]* Phi-
 losophus, nimirum Æsopus. quæ Glossa, loco *τῷ Sophus* ir-
 repperat in nonnullos libros. *Utilis]* **Serviceable. fit to use.**
utibilis. Redeat] Eleganter. ludus enim avocat animum, &
 liberius evagari sinit. cogitatio revocat, & redire jubet.

F A B. XV.

Qui educat, pater magis, quàm qui genuit.

AGNUS à CAPELLA NUTRITUS.

INter capellas Agno balanti Canis,
Stultè (inquit) erras : non est hæc mater tua :
Ovèsque segregatas ostendit procul.
A. Non illam quæro, quæ quum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus. 5
Novissimè prolapsam effundit sarcinam :
Verùm illam quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudâtque natos lacte, ne desit mihi.
C. Tamen illa est potior quæ te peperit. A. Non ita est.
Unde illa scivit niger an albus nasceret ? 10
Age purò scisset : quum crearet masculus,
Beneficium magnum sanè natali dedit,
Ut expectarem lanium in horas singulas.
Cujus potestas nulla in gignendo fuit.
Cur hæc sit potior, quæ jacentis miserita est, 15
Dulcemque sponte præstat benevolentiam ?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
 ¶ His demonstrare voluit auctor versibus
 Obsistere homines legibus, meritis capi.

Balam.] Salm. palanti. frustra. *Hæc*] Schef. *heic.* i. est, hoc loco. rectè. *Segreg.*] A grege capellarum semotas. *Illam*] Ovem. *Ignor.*] Schef. ex ignoto, & temerè conceptum. *ignotum* tibi, quia nesciebas quid sibi vellet; & quis futurus esset eventus. *Prolap.*] Utero. *Illam*] Subaud. *quæro capellam.* *Desit*] Nim. *lac.* *Scisset*] Scivisset. Elliptica est oratio. finineriam finge, vel fac si scivisset, *Quant the had known.* *Beneficium natali*] Salmas. ut constet versus, legit. *nate.* *Gudius, sine natali,* vel, *sine vitali,* conjicit. Si quidem pedem tetrasyllabum in principio admittere licuit, versus optimè se haberet; supra verò, quare non admittendus sit, dixi. *Salmasianam* itaque amplector emendationem, nisi quis *fat* loco *sane* maluerit. *Natali*] Alludit ad morem dona mittendi natali die. *Potes.*] Non potest enim non gignere, postquam semel partum concepit. Schef. *Hæc*] Capellâ. *Gudius* hunc locum irâ refingit. *Cujus potestas nulla in gignendo fuit, cur hæc? sit potior quæ jacentis miserita est.* Est & *Burmanni* conjectura, non illa quidem contemnenda, qui sic legit & exponit. *Canis quærit, Cujus potestas nulla in gignendo fuit, cur hæc sit potior?* respondet *agnus. quod jacentis miserita est.* *Neces.*] Naturæ. *V. Grono. observ.* *Meritis*] Benemeritis, beneficiis duci in amorem.

F A B. XVI.

Humanitas, & gratior, & tutior.

C I C A D A & N O C T U A.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque pœnas appetit superbiæ.
¶ Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, solitæ victum in tenebris quærere,
Cavòque ramo capere somnum interdiu. 5
Rogata est ut taceret: multò validiùs
Clamare cœpit. Rursus admotâ prece,
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, & verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallaciâ: 10

Dor-

100
Dor-

*Dormire quia me non sinunt cantus tui,
 Sonare Citharâ quos putes Apollinis,
 Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
 Nuper donavit : si non fastidis, veni ;
 Una bibamus. Illa quæ ardebat siti,* 15
*Simul cognovit vocem laudari suam,
 Cupidè advolavit. Noctua egressa cavo
 Trepidantem confectata est, & letho dedit.
 Sic viva quod negarat, tribuit mortua:*

Human.] Hoc loco *Humanitas*, Dea est illa, cui quicumque litavit, benevolum se præstat, & candidum mortalibus. qui autem non accommodat, nec humanitati se morigerum præbet, plerunque pœnas sibi accersit ob superbiam. *Appe.]* In se deducit. *Noctuæ]* Pendet ab adjectivo *acerbum*. *Convi.]* Clamorem. *Roga.]* Cicada. *Admo.]* Eleganter. velut de machinâ, ad significandum ardorem & studium precantis. *Schef. Accensa]* Irritata ad cantandum. *S. Aux.]* Contra clamorem cicadæ, *S. Sonare]* Heinsius, *Sonari*. *Citharâ]* Buchnerus e *citharâ* conjicit. alii *citharam*. *Quos]* Schef. *quis*, & verba parenthesi includenda censet. malè. locus facillimus, nec ullo modo sollicitandus, *quos* cantus aliquis jure putet *sonare citharâ Apollinis*: credas innare revulsas Cycladas. Virg. i. e. quivis credat. & sexcenta hujusmodi. *Pallas]* Noctua enim est avis Palladis. *Fastidis]* *If you are not nice* *Advol]* Ad noctuam. *Trepid.]* Præ metu fugitantem. *Consec.]* *overtook*. *Sic viva quod, &c.]* Sic quam quietem viva cicada negaverat noctuæ, morte suâ tribuit.

F. A. B. XVII.

Fructu non foliis arborem æstima.

ARBORES IN DEORUM TUTELA!

Olim quas vellent esse in tutela sua
 Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
 Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
 Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi.
 Minerva admirans, quare steriles fumerent,

Interrogavit. *Causam dixit Jupiter :*

Honore fructum ne videamur vendere.

At me hercule narrabit quod quis voluerit.

Oliua nobis propter fructum est gratior.

Tunc sic Deorum genitor atq; hominum fator :

¶ nata, meritò sapiens dicere omnibus :

Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

¶ Nihil agere quod non profit, fabella admonet.

Pinus] Pinum sacram fuisse Magnæ Matri, apparet ex Arnob. l. 5. *Quid enim tibi vult illia pinus ? quam semper statis diebus in Deum Matris intromittis sanctuarium.* *Cybebe*] Olim. Cybelæ. male. secunda enim semper corripitur, ut Gudianus doctissimè demonstrat. MS. Rem. cæterique scriptum habent Cybebe. quidni itaque vetus lectio MSS. stet. Sed plura Gudianus ad ultimam fabulam hujus libri tertii. *Honore*] Faber legit, *Honorem fructu.* Nec sane video, quid insit sensus alteri lectio, utcumque eam detendat Schefferus. *ne videamur honorem* tutelæ nostræ, eligendo frugiferas, non tam dare, quam *vendere* pro fructu nobis inde percipiendo. *Narrabit*] Piget recensere varias ad hunc locum doctorum conjecturas, ita nihili sunt. Tu modo lege *narravit* loco *narrabit*, nec quicquam ultra quæres. *Genitor.*] MS. *gentium* unde *ingentium* Gudianus. opinor *gentium* rectè se habere : exprimere enim voluit *ἐὸλον ἀνδρῶν.* *Dicere*] Præsentis est temporis.

FAB.

F A B. XVHI.

Tuis contentus ne concupiscas aliena.

P A V O ad J U N O N E M.

PAvo ad Junonem venit, indignè ferens
 Cantus lusciniæ quod sibi non tribuerit :
 Illum esse cunctis avibus admirabilem,
 Se derideri, simul ac vocem miserit.
 Tunc consolandi gratiâ, dixit Dea : 5
Sed forma vincis, vincis magnitudine,
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
P. Quò mi, inquit, mutam speciem si vincor sono ?
J. Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ : 10
Tibi forma, vires aquilæ, lusciniæ melos,
Augurium corvo, læva cornici omina.
Omnesque propriis sunt contentæ vocibus.
 ¶ Noli adfectare quod tibi non est datum,
 Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

Lusciniæ] Legitur Luscinus, Luscinius, & Luscinia. *Illum]* Subaud. dicens, illum esse, &c. *Avibus]* V. C. Pith. *auribus.* quod præstat. *Gratiâ]* MS. gratiam duxit. lege. gratiâ induxit dea, i. e. per inductionem intulit. nimirum obducens ex abrupto, *sed formâ vincis,* &c. *Gudius.* Sed affectatæ hæc eruditionis, & dura videntur. *Nitor sma.]* Nitor qualis est in Smaragdo. *Gudius* monet legendum cum libris veteribus, *Zmaragdi.* *Præful.]* Fulget circa collum. *Pictis]* Et pictis plumis, quasi totidem gemmis, consistam caudam expandis. *Quo]* i. e. quo fine. *Speciem]* Sub. dedisti. Sic Horat. *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* i. e. Quo mihi Dii concessere fortunam? *Fato]* Litera *I* quæ præponitur *re] fatorum* significat Junonem jam Pavoni respondere. *Partes]*

Partes] Desumpta è Scenâ locutio : in quâ alteri primæ, alteri secundæ partes adsignantur. Præsch. sua cuique vestrûm pars data est. *Forma*] Data est & itâ in sequentibus, pro numero nominativi, verbum subauditur. *Lava*] Felicia. Cicero de Divin. l. 2. à dextrâ corvus, à sinistra cornix facit rata. Sch. *Omnes quæ*] Omnesque. Heinsius. *Recid.*] Scribendum *reccidat* metro postulante.

F A B. XIX.

Multi homines nomine, non re.

ÆSOPUS ad GARRULUM.

Æsopus domino solus cùm esset familia,
Parare cœnam iussus est maturiùs.

Ignem ergo quærens, aliquot lustravit domos.

Tandemque invenit ubi lucernam accenderet.

Tum circumeunti fuerat quod iter longius, 5

Effecit brevius : namque rectâ per forum

Cœpit redire : & quidam è turba garrulus :

Æsope, medio sole quid cum lumine ?

Hominem quæro (inquit) & abit festinans domum.

¶ Hoc si molestus ille ad animum rettulit, 10

Sensit profectò se hominem non visum seni,

Intempestivè qui occupato adluserit.

Fami.] Cum Æsopus solus esset domino tota famulorum cohors. Dominus non habuit aliam familiam, alios servos, præter Æsopum. Proper. *Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes. In solis tu mihi turba locis* Tibul. Demost. *πύλα ἐξείνθη ἢν αὐτοῖς*, &c. Gudius. *Matu.*] Solito, subintel. *Lustr.*] Lustrat. *ἠδελύχου*, Gloss. *Tum circum*] Ordo verborum hic. *tum effecit iter brevius, quod iter fuerat paullo longius illi circumeunti.* *Rectâ*] Subaud. viâ. *Quidam*] Sub. dixit. *Medio*] Meridie. *Quid*] Sc. agis. *Abit*] Nimirum, Æsopus. *Hoc*] Dicitum Ælopi. *Ad ani.*] Animo considerandum proposuit. examinavit. *Visum*] Sub. esse. *Adluse.*] Jocari voluerit.

F A B. XX.

Miserrimus, qui in vita miser, post mortem miserior.

A S I N U S & G A L L I.

QUI natus est infelix, non vitam modò
Tristem decurrit, verùm post obitum quoque,
Persequitur illum dura fati miseria.

¶ Galli Cybebes circùm quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas.

Is quum labore & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.

Rogati mox à quodam, *delicio suo*
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:

Putabat se post mortem securum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Dura fati mis.] Durum & miserum fatum usque insequitur illum etiã mortuum. *Galli]* Sacerdotes castrati. sic dicti a Gallo fluvio Phrygiæ. *Cybebes]* Olim malè *Cybeles* legabatur. corripitur enim secunda in *Cybeles*. Vide Gudium doctè de his vocibus differentem. *Circum quæs.]* *Circum in quæstus.* reponit Gudius. *in* excidit propter similitudinem antecedentis *m.* idem error L. 11. Fab. 8. *quoniam dignos adjuvat.* pro *indignos*. Est autem *circum in quæstus ducere*, elegantius tinesi, pro *circumducere ad quæstus* faciendos. Gudius. Gronovius pater præfert *circum cætus*, id est, oppida, fora, conciliabula. *Tymp.]* Quibus solennitè utebantur. Catullus de Aty. *Cepit manibus leve tympanum. & comitata tympano Aty,* &c. *Delicio]* Asino nempe. Delicium autem vocatur asinus, in Copâ inter catalecta Virgilii — *vestrum delicium est asinus.* propriè usurpatur de pueris & puellis elegantibus, Gudius. *Securum]* Omnium molestiarum vacuum, & immumem.

PHÆDRI FABULARUM.

LIBER IV.

PROLOGUS.

JOculare tibi videtur : & sanè leve,
 Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
 Sed diligenter intuerere has nœnias,
 Quantam sub illis utilitatem reperiēs ?
 Non semper ea sunt quæ videntur, decipit
 Frons prima multos : rara mens intelligit
 Quod interiore condidit cura angulo.
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,
 Fabellam adjiciam de mustela & muribus.

fooul.] Hoc nimirum scriptionis genus videtur tibi ludicrum
 quiddam : & ut verum fateor hæc levia nostro calamo per lu-
 sum excidunt, nihil majoris momenti, quod faciam habentis.
 Videtur innuere se more rusticorum, finito penso, calamo leve
 quid ludere; ut enim illi calamo levem aliquam nœniam sonant,
 ita ego animi causâ minuta hæc scriptito. *Leve]* Itâ priores
 Editi. mutavit Rigaltius, qui *bene* prætulit nullâ autoritate
 nixus. Sch. *Sub illis]* MS. *subtilis*, malè. *Non semper]*
 K 2 Res

78 PHÆDRI FABULARUM

Res non sunt semper tales, quales videntur. *Frons*] Species. *appearance.* *Rara*] Non obvia uniuscujusque mens, sed perspicax, qualis solet esse rara. Sch. forsan simplicius & verius. paucæ mentes, paucorum ingenia. *Condidit cura*] Quod ego studiose sub his fabellis repositum volui. *Mercede*] Gratis, *without proof.* Si quis eam, quam profiteor, fabulis subesse eruditionem negaverit, age experiatur vires, & ostendat, quid hæc sibi fabella velit. Et fanè huic prologo elegantissimè intexit Phædrus *ἄμυθιον* sequentis fabulæ: quot enim mures perierunt specie farinæ decepti, priusquam rara mens, sagax ille mus deprehendit mustelam, quæ in obscuro loco se abjecerat, curâque condiderat? licet igitur hi versus *non semper ea sunt, quæ videntur*, &c. fabellis quibusvis convenient; hîc tamen sequentem unicè respiciunt; atque adeò quoniam hoc omnes hucusque latuit interpretes, jactantius Phædri dictum non irritum fuisse arguunt, se nempe non locutum esse hoc sine mercede.

F A B. I.

Astutus astu non capitur.

M U S T E L A & M U R E S.

MUstela quum annis & senectâ debilis,
 Mures veloces non valeret adsequi,
 Involvit se farinâ, & obscuro loco
 Abjecit negligenter. Mus escam putans,
 Adsiluit, & compressus occubuit neci: 5
 Alter similiter; deinde periit tertius.
 Aliquot secutis, venit & retorridus,
 Qui sæpe laqueos & muscipulam effugerat,
 Procûlque insidias cernens hostis callidi:
 Sic valeas, inquit, ut farina es quæ jaces.

Adsequi] Sequendo accedere, vel capere. *Invol.*] Volvit se in farinâ. *Abjecit*] Scil. se, eleganter, velut rem vilem, & ab alio abjectam. *Escam put.*] Putans mustelam esse escam. *Compres.*] MS. *compresus*, undè nonnulli *comprensus* malunt. *Ali-*

Aliquot secutis] Hunc versum delendum censet Præschius, ut ex priori natum, & loco rē perit reponit venit. Urſinus corrigit. *aliquot venit sepultis rectè territus.* tu nihil muta. *Retor.*] Notatur vetulus, rugosus, quomodo *retorridas plantas* macilentas, scabras, & in rugas contractas. sunt qui colorem mustelæ significari volunt, *Brindle-colour'd.* *Muscip.*] *Muscipulum* neutrius generis. sæpius *muscipula*, æ. invenitur. *Sic val.*] Series verborum hæc est. *Sic valeas tu, quæ jaces,* (itâ negligenter) *ut farina es* (illa, nimirum, quam simulas) i.e. planè non valeas, sicut nec farina es, quam esse te simulas. Plautus. *Aulul.* 4. 10. *Itâ te amabit Jupiter, ut tu nescis.* ac res per se constat. *faces*] Aliquis, *neces*, conjecit. frustra.

F A B. II.

Spernit superbus quæ nequit assequi.

V U L P E S & U V A.

FAme coacta Vulpis, altâ in vineâ
Uvam adpetebat summis saliens viribus :
 Quam tangere ut non potuit, discedens ait :
Nondum. matura est, nolo acerbam sumere.

¶ Qui facere quæ non possunt, verbis elevant,
 Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Vulpis] Antiquè. pro *vulpes*. *Alta*] Placet Schefferi conjectura, *altam* legentis. *Est*] *Malo, es.* *Acerb.*] Immaturam. *Sume.*] Edere. *Elevant*] *Undervalue, slight.* levia & vilia esse contendunt. *Adscri.*] Idem est, quod accipere velut ex debito, & suum facere. verbum ex re nummulariâ desumptum. solebant enim creditores solutam sibi apud mensarium summam jubere transcribi in suas tabulas, Schef. *Debebunt*] *Will be oblig'd.*

F A B. III.

Vindictæ cupidus sibi malum arcerfit.

E Q U U S & A P E R.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
 Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.
 Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero,
 4 Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
 Rediit ad hostem : jactis hunc telis eques 5
 Postquam interfecit, sic locutus traditur,
 H. *Lætor tulisse auxilium me precibus tuis ;*
Nam prædam cepi, & didici quàm sis utilis.
 Atque ita coëgit frænos invitum pati.
 Tum mœstus ille : E. *Parvæ vindictam rei 10*
Dum quæro demens, servitutem repperi.
 ¶ Hæc iracundos admonebit fabula,
 Impunè potius lædi, quàm dedi alteri.

Equus] Hæc fabula Æsopi non est, sed Stesichori, quâ olim Phalarin illum immanitate nobilem tyrannum destrinxit. *Fab. Quo]* Ordo verborum hic est. *Aper, dum se volutat, turbavit vadum, quo equus solitus fuerat sedare sitim. quo, pro in quo. Sonip.]* Equus. *Jactis]* Frustrâ Rigaltius *latus* refingit. nam apud Tacitum legisse memini, *telisque non in vanum jactis & jacere sagittas.* Gronov. *Precib.]* Tibi precanti. *Prædam]* Aprum. *Invitum.]* Equum nempe, qui noluit lubens vadum turbatum pati. *Repp.]* Eleganter opponitur *quæro.* *Potius]* Ellipt. pro *potius esse*, i. e. melius lædi impune & sine ullâ in lædentem vindictâ, quàm, &c. *Admon.]* Will serve to admonish.

F A B. IV.

Nomines non numerandi, sed ponderandi.

ÆSOPUS INTERPRES TESTAMENTI.

Plus esse in uno sæpè, quàm in turbâ, boni,
Narratione posteris tradam brevi.

¶ Quidam decedens tres reliquit filias,
Unam formosam, & oculis venientem viros:
At alteram lanificam & frugi rusticam : 5
Devotam vino tertiam, & turpissimam.

Harum autem matrem fecit hæredem senex
Sub conditione, *totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat, sed tali modo,
Ne data possideant aut fruantur : tum simul 10
Habere res desierint quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.*

Athenas rumor implet : mater sedula
Jurisperitos consulit : nemo expedit
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum, 15
Fructumve capiant : deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.

Postquam consumpta est temporis longi mœra,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens : 20

Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros :
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & instrumentum rusticum :
Potrici, plenam antiquis apothecam cadis, 25
Domum politam, & delicatos hortulos.

Sic destinata dare quum vellet singulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat,

82 PHÆDRI FABULARUM.

Æsopus mediâ subitò in turbâ constitit :

Æ. *O si maneret condito sensus patri,* 30

*Quàm graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici !*

Rogatus deinde, solvit errorem omnium.

*Domum & ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ rusticæ :* 35

Vestem, uniones, pedissequos, & cætera

Illi adsignate, vitam quæ luxu trahit :

Agros, vites, & pecora cum pastoribus

Donate mæchæ : Nulla poterit perpeti

Ut moribus quid teneat alienum suis. 40

Deformis cultum vendet, ut vinum paret ;

Agros abjiciet mæcha, ut ornatum paret ;

At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,

Quacunque summâ tradet luxuriæ domum :

Sic nulla possidebit quod fuerit datum, 45

Et dictam matri conferent pecuniam,

Ex pretio rerum, quas vendiderint singula.

¶ *Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis repperit solertia.*

Uno] Homine. *In tur.*] Schefferus *in delendum* censet.
Boni] Sapientiæ utilis. *Brevi*] Forte *gravi*, i. e. seriâ. neque enim hæc narratio brevis. Gudius. *Deced.*] Vitâ. moriens lege naturali. *Venan.*] Captantem, insidiantem. *Alteram*] Secundam. *Rusticam*] Simplicem. quales rusticæ, artiumque rudem, quibus urbanæ & elegantiores viris insidiantur. *Devot.*] Prorsus deditam. *Turpiss.*] Maximè deformem. *Fortu.*] Bona hæreditaria, fortunas. *Fruan.*] Subaud. *datis*. nullus enim hîc Archaismus. præcedens enim *data* pendet a 'verbo *possideat*. *Tum*] Deinde. *Simul*] Simul ac. *Centena*] Unaquæq; filia centum. *Cent. Sest.*] Quos mille & quingentos coronatos. *Rumor*] De testamento. *Exped.*] Explicat. *Fructumve*] *Fructumve* non *capiant*. repetenda enim est non ex priori versu. *Tulerint nihil*] *Nihil* fructus *perceperint*, nihil fænoris. eâ enim conditione data erant bonæ, ut ne possideant, neve fructum capiant è bonis datis. *Quâ*] Quâ computandi viâ. *Conferant*] Singulæ solvant. *Pecuni*] Quæ tamen testamento nulla fuit legata. hinc ille nodus, & difficultas

cultas in sensu testamenti colligendo. *Fidem advoc.*] Postquam jurisperiti nihil profuissent, fide suâ & integritate pro advocato usa est. *Neglecto jure*] Summo jure non observato. vel jurisperitis non ultra adhibitis. *Mæc.*] *Oculis venanti viros* ante dixerat. *Mundum*] Ornarum. *Lavat.*] Vasa omnigena lotioni inservientia. *Glabros*] Molles. at Gudius ab Eunuchis separandos judicat. glabri enim erant pueri ob ætatem depiles; quos *delicatos* vel *delicias* vocabant. *Pueri leves* apud Martial. *Agell.*] *Grounds.* *Pec.*] Oves, agnos, capellas. minora significantur. *Boves*] *Bitæ.* *Fumen.*] Oneribus ferendis destinata, & majora. quales muli, alii Tauri, Equi. *Antiq.*] Adeoque majore pretii. *Apothe.*] *Gault.* *Polit.*] Idem quod postea, *domum & ornamenta.* *Deuc.*] *Mox v. nuptos* vocat. quod idem est. *Sic desti.*] Hoc modo secum in animo disposita & designata. *Adprob.*] *Designationem, divisionem* subaudi. *Tondi.*] Sepulchro. *Volunt.*] Quid velit. mentem suam. alii, testamentum, voluntatem ultimam. malè nî fallor. *Solvit*] Est temporis præteriti, ob præcedens *constitit.* *Union.*] Hi inter mundum muliebre numerandi. *Et cæt.*] Supra Gudius glabros ab Eunuchis disjungi voluit, quod ipsum rectè fieri a Gudio demonstrant, opinor, hæc verba *& cætera.* quis enim *& cætera* de unâ tantum re omisâ, dicere sustineret? *Luxu*] Ebrietate, compotationibus. *Vites*] MS. Rem. *Utiles.* unde Gudius, *villas.* sane respiciet concinnius iis, quæ præcesserant. *agellos, pecora, villam.* & rectè porro notavit T vitiose pro I, & I perperam pro T reperiri in eodem codice. *Perpeti*] Diu pari. *Quid alien*] Quicquam quod non convenit. *Abjici.*] Vili pretio vender. *Paret.*] Gronov. *petat.* recepta, fateor, lectio displicet; non tamen habeo, quod reponam, aptius. *Quâ*] Vilissimo vel pretio. *Tra.*] Transferet in alienas manus. *Luxuriæ dom*] Ad luxuriam instructæ & quasi consecratæ. *Dictam*] Testamento constitutam. *Mult. imprud.*] Multos imprudentes. *Unius solert.*] Unus homo solers latentem invenit testamenti sensum, qui non potuit deprehendi a multis imprudentibus.

FAB. V.

Feriunt summos fulmina montes.

PUGNA MURIUM & MUSTELARUM.

QUUM victi Mures Mustelarum exercitū
(Historia quorum in tabernis pingitur.)

Fugerent, & arctos circum trepidarent cavos,

Ægrè recepti, tamen evaserunt necem.

Duces eorum, ut qui capitibus cornua

Suis ligarant, ut conspicuum in prælio

Haberent signum quod sequerentur milites,

Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus;

Quos immolatos victor avidis dentibus

Capacis alvi merfit tartareo specu.

¶ Quemcumque populum tristis eventus premit,

Periclitatur magnitudo principum:

Minuta plebes facili præsidio latet.

Exerci.] Tota hæc fabula grandem spiritum, & majestatem tragicam spirat, non, ut Faber, duo tantum postremi versus. quid enim grandius, quam *Exercitū, Duces, signum, portis, &c.* ? majora hæc proculdubio, quam quæ muribus serio convenire possunt. observandum est *exercitū* tertii esse casus: perdet enim a participio *victi*. *Cavos]* Horat. L. I. Ep. 7. *Macra cavum repetes arctum.* *Trepid.]* Ultra citroque pavidi cursitarent. *Scuttle.* *Recepti]* Scil. *cavis.* *Signum]* Notam, quâ duces a gregariis discernent. Sic enim solebant, ut docet Veget. L. 2. c. 13, & 16. *Immol]* Solebant nempe victimas post victoriam offerre Diis. Schef. *Capacis]* Grandius; ut augetur risum in humili hæc re. Fab. *Magnit.]* Magni Principes. sic loqui amat Phædrus, ut cuivis legenti obvium est. *Facili]* Quia facile præsidium aliquod invenit. Schef.

FAB.

F A B. VI.

Stultus nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

PHÆDRUS IN FABULARUM ÆSOPIARUM
CENSORES.

TU qui nasute scripta destringis mea,
 Et hoc jocorum legere fastidis genus,
 Parvâ libellum sustine patientiâ,
 Severitatem frontis dum placo tuæ,
 Et in cothurnis prodit Æsopus novis. 5
Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessalâ,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus 10
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.
Namque & superbi luget Ætæ domus,
Et regna Pelix scelere Medæ jacent,
Quæ sævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam, 15
Hic cæde Patris Peliadum infecit manus.

Quid tibi viderur? Hoc quoque insulsum est, ais,
 Falsoque dictum; longè quia vetustior
 Ægeâ Minos classe perdomuit freta,
 Fustoque vindicavit exemplo impetum. 20

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
 Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
 Noli molestus esse omnino litteris,
 Majorem exhibeant nè tibi molestiam.

Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant: 25
 Et ut putentur sapere, cœlum vituperant.

Nasu.] Ordo verborum : *O nasute qui, &c. Nasutus* autem est, qui sagaciùs aliis se putat hominum errores vitiaque odorari Schefferus. Non malè tamen *nasute* pro adverbio sumitur. Sc sanè melius servatur naturalis verborum ordo. *Dest.*] Carpis naso adunco, acri censurà corripis. *Fastid.*] Præ fastu legere non dignaris. *Sustine*] Utcunque odiosum tamen patienter sustine, nec è manibus abjice. Ursinus corrigit *parum libellam sustine. Placo sever.*] **Smooth the roughness.** dum te acrem censorem mitem reddo. *Et in*] Meurius. *en ! in :* frustrà. sic enim claudicat oratio. *Cothur. novis*] Tragico habitu, qualis Æsopo fuit inusitatus. Tragicus enim sermo a leni fabularum sermone longissimè abest. *Cothurnus* autem erat calceamenti genus, quo Tragœdiarum actores utebantur. *Nec unquam*] *Nec* pro non. ut in *nec opinans.* *Pelii*] Malè olim *Pelei* ; *utinam ne in nemore Pelio.* Ennius. penultima enim in *Pelei* adjectivè sumpto produceretur. *Pelii ne.*] Sylvæ in Pelio Thessaliæ monte sitæ. *Profes.*] Manifestæ. nota passivè. Senec. Med. *Professa produnt odia.* Ovid. 3. Amor. 14. *Solaque famosam culpa professa facit.* *Argus*] Fabri nomen, qui navem Argò, ope Palladis adjutus, fabricavit. *Opere*] Ipsa enim Pallas arbores dejecisse fingitur. *Inhospi.*] Proprie, ἀξενος olim appellabatur, qui deinde Euxinus, boni ominis causâ. *Sinus*] *Bay.* *Graium*] Graiorum, & Barbarorum. Barbaros autem vocat, qui in Colchide habitabant. *Super.*] Magni. potentis. *Luget*] Propter hanc expeditionem. Ætas enim amiserat aureum vellus, filiam Medeam, & filium Absyrtum. *Ætæ*] Patris Medæ. *Peliæ*] Regis Thessaliæ, per regnâ autem Pelix, &c. videtur Phædrus nihil aliud velle, quam regem Peliam scelere Medæ interfectum jacuisse, quod ex sequentibus patet, *Hic cæde patris, &c.* *Sæv. ingen.*] **Her bloody mind.** *Involvens*] Tegens. *Modis*] Heinlius. *dolis.* *Illic*] In Colchide. *Fratri*] Absyrti. ut enim patrem insequentem moraretur, Absyrtum fratrem membratim discerpit, & elabendi sibi viam aperuit. *Hic*] In Thessaliâ. *Peliadum*] Filiarum Pelix. persuasit enim ipsis, ut patrem Peliam necarent, & in vase aquæ pleno coquendum imponerent, fore enim, ut hoc pacto reviresceret, exutâ senectute. *Insulsum*] Sine sale. *insipid.* *Exemplo*] Supplicio. *Impetum*] Piratarum incursum. *impetus* autem ponitur pro *impotentibus.* MS. *Imperium.* *Caro*] Severus, qualis Cato. *Fabulæ*] Tragœdiæ. Si nec minora scripta, qualia fabellæ Æsopiæ, nec majora, qualia Tragica argumenta, quorum specimen nunc proposui, te juvant. Sch. *Exhib.*] Salm. *exhibeam.* *Si qui stulti nau.*] *Si qui præ stultitiâ nauseant,* non quod nausæ subit

subsit causâ. MS. *stultitiam*. unde nonnulli legunt. *Hoc illis dictum est, qui stultitiâ, &c. Cælum*] Proverbialiter dictum. *cælum*, i. e. Deos, ut Momus olim, carpunt & vituperant.

F A B. VII.

Maledico maledicens pejus audiet.

V I P E R A & L I M A.

MOrdaciorem qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

¶ In officinam fabri venit Vipera.

Hæc quum tentaret, si qua res esset cibi;
Limam momordit: illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta dente captas ledere,
Omne adsiævi ferrum quæ conrodere?

Improbo] Audaci, itemque impari. *presumptuous.* *De scri.*] Recte in præsentî ponitur. jam enim res agitur. *Tent.*] Peculiaris vox accuratè quærentibus. *Res cibi*] Id est cibus, *χρῆμα τροφῆς.* nil crebrius, præsertim apud Atticos. *χρῆμα πυκτῆς.* Aristoph. passim. *Stulta*] Casu vocativo. *Omne*] genus ferri ferrum durissimum.

FAB.

F A B. VIII.

Improbi ne pereant, perdunt.

V U L P E S & H I R C U S.]

Homo in periculum simul ac venit callidus,
 Reperire effugium alterius quærit malo.
 ¶ Quum decidisset Vulpis in puteum inscia,
 Et altiore clauderetur margine ;
 Devenit Hircus sitiens in eundem locum, 5
 Simul rogavit, *esset an dulcis liquor,*
Et copiosus ? Illa fraudem moliens ;
Descende, amice : tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
 Immisit se barbatus : tum Vulpecula 10
 Evasit puteo, nixa celsis cornibus :
 Hircumque clauso liquit hærentem vado.

Homo in peri] Ms. Rhemensis, optimæ notæ, lectionem fecutus sum, monente Gudio. editi aliter. *Homo simul ac venit in magnum periculum, effugium reperire.* *Effugium]* in non eliditur. quæ licentia Phædro frequens. *Altiore]* Nimis alto. *Simul]* Et simul. *Moliens]* Molior plerunque difficultatem & nisum innuit, qui tamen nullus est in hâc re. struens, parans. *Ille]* Vulpes subaud. respondet. *Immi.]* In puteum. *Barbat.]* Elegans est, animalibus ab eâ parte corporis, quâ maximè dignoscuntur, nomen imponere. Sic *Auritus]* pro *Asino.* *bidens]* pro *ove.* *sonipes]* pro *equo.* Gudius. *Nixa]* Enixa hirci cornibus. taking rise from. *Vado]* In aquâ clausâ.

F A B. IX.

P E R A.

Peras imposuit Jupiter nobis duas :
 Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
 Alienis ante pectus suspendit gravem.
 ¶ Hac re videre nostra mala non possumus :
 Alii simul delinquent, censores sumus.

Replet.] Notatu hoc dignum est, Phædrum dicere, peram propriis quidem vitiis repletam esse, non tamen gravem; peram autem alteram, alienis gravem, quamvis repletam non esse tacitus innuat. *Hac re]* Hæc ex re, hæc de causa. *Videre, &c.]* Nostra flagitia ne videre quidem possumus, at simul ac alii leviter peccant, & officio quovis modo desunt, acres illico & severi reprehensores sumus.

F A B. X.

Antecedentem scelestum non deserit pede pœna
claudo.

FUR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex arâ Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum ;
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit religio :
Malorum quamvis ista fuerint munera, 5
Mibique invisâ, ut non offendar subripi ;
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos, 10
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
¶ Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius quàm qui repperit. 15
Significat primò, sæpe quos ipse alueris,
Tibi inveniri maximè contrarios.
Secundò ostendit, scelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.
Novissimè interdicit ne cum malefico 20
Usum bonus consociet ullius rei.

Arâ] In arâ perpetuus ignis, l. i. fab. 28. Vulpes ex arâ
rapuit ardentem facem. Gadius. *Ipsumque*] Sc. Jovem. Deum
autèm pro Dei statuâ ponit Phædrus. alii intelligunt fanum
Jovis. minus recte. *Suum*] Proprium. quia ex arâ Jovis ac-
censum erat. *Qui sacri.*] Aut extrudendum est illud qui,
aut post *sacrilegio* inferendum; neque enim aliter constabit
versus.

versus. Sacrilegium autem hîc ponitur non pro scelere, sed
 ipsis rebus sacris, quas fur adeò liberaliter subripuerat, ut &
 oneri sibi essent. *Sancta Religio*] i. e. sacra imago.
 ad imitationem Græcorum, apud quos *σέβασμα* pari modo pro
 statuâ positum invenitur. *Ista*] Quæ tu nimirum furto
 abstulisti. *Mihique*] Et mihi adeò invita, ut non offendar ea
 subripi jam a te &c. *Spiritu*] Vitâ. alibi. *miserum torques*
spiritum. *Adscrip.*] Definitus, destinatus. *Facin.*] i. e.
 facinorosus, scelestus lucem præbeat. *Pietas*] i. e. pii homi-
 nes deos colunt jure colendos. *Lumi.*] Sacri nempe & com-
 munis. seu profani. *Commer.*] *Intercourse.* *Flammâ*
Deum] Ut Fab. 23. l. 4. *exta Deum*, i. e. diis sacra exta.
Sacrum] Sacrificium, victimam. scilicet non ex culinâ, sed e
 cælo petebant ignem, quo in hoc negotio utebantur. Sch.
Explicabit] Insolentèr satis. at Schefferus sic exponit. non ne-
 cesse erit, ut explicet alius, quia ipse, qui excogitavi, nunc
 facturus sum. *Repp.*] Hujus itaque tabulæ auctor est Phæ-
 drus. *Alueris*] Foveris, ad honores promoveris. S. *Inven.*]
 Ex improvîso fieri tibi gravissimos hostes. *Dicto*] Constituto.
Interdicit ne bonus consociet] i. e. Jubet bonum non conso-
 ciare, &c.

F A B. XI.

Opes irritamenta malorum.

HERCULES & PLUTUS.

Opes invisæ meritò sunt forti viro,
 Quia dives arca veram laudem intercipit.
 ¶ Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
 Quum gratulantes persalutasset Deos,
 Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius, 5
 Avertit oculos: causam quæsiivit Pater:
 H. Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
 Simulque objecto cuncta corrumpit luero.

Dives arca &c.] Duplex hujus sententiæ vis est. quia divites laudem veræ virtuti debitam & destinatam sibi arripiunt, & in ipso itinere intercipiunt. vel, quia divitiæ veram virtutem intercipiunt, nec sinunt ulterius crescere, corrumpendo nimirum bonorum animos. *Laus* autem pro *virtute* poni apud optimos Auctores non insolens est. *Cælo*] In cœlum. *Gratulan.*] *Widding him welcome.* *Per salut.*] Ordine omnes salutâliet. *Pluto*] Ablativus pendet ex verbo *avertit*. *Pater*] Jupiter. Herculis nempe pater. *Malis*] Qui jam mali sunt. *Objecto &c.*] Sed & omnia, objectâ lucris spe, quasi offâ cani, corrumpit, pravaque, quantumvis antehac bona, reddit.

F A B. XII.

Sinceritas laudanda.

L E O R E G N A N S.

UTilius homini nihil est quàm rectè loqui.
 Probanda cunctis est quidem sententia :
 Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

¶ Quum se ferarum regem fecisset Leo,
 Et æquitatis vellet famam consequi,
 A pristinâ deflexit consuetudine :
 Atque inter illas tenui contentus cibo,
 Sancta incorruptâ jura reddebat fide.

Reliqui versus hujusce Fabulæ periere.

Utilius] Ex mente Philosophorum loquitur Phædrus, quibus omne utile est honestum, honestum autem utile. *utilius* itaq; hîc valet idem quod, honestius, dignius viro bono. Si enim *utilius* communi sensu, pro eo quod conducit ad vitæ felicitatem, capiatur, non potest verum esse, sinceritatem plerunque ad perniciem agi. *Quidem*] Conjungenda est voci *probanda*. vis verborum autem hæc est. Sententia, scilicet præmissa, digna quidem est quæ probetur, periculosum tamen ex illius præscripto

scripto vivere, & animi sensa nunquam non simpliciter & palam habere; sinceritas enim illa sibi plerumque exitium accersit. *Æquitatis*] Jus omnibus sine studio partium administrandi. *Deflexit*] Mutavit pristinum feritatis morem. *Sancita*] Sancita & stabilita inter illas. *Reddebat*] Administabat.

Postquam lavare cœpit penis tentia
A fictione veretri linguam mulieris;
Adfinitatem traxit inde obscœnitas.

Lav.] MS. *labare*. *Penis*] Pœnitentia. *A fict.*] Al. *affixione*. Salm. *affixione*.

F A B. XIII.

Rogavit alter tribadas & molles mares
Quæ ratio procreasset: exposuit senex.
Idem Prometheus, autor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad naturam frangitur;
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Cùm separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis;
Ad cœnam est invitatus subito à Libero:
Ubi inrigatus multo venas nectare
Serò domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde, & errore ebrio
Adplicuit virginale generi masculino,
Et masculina membra adplicuit feminis:
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

Triba.] Quæ apud alias scœminas virorum officio funguntur.
Molles] Pathicos, qui viris loco scœminarum sunt. *Senex*] *Æsopus*. *Fict.*] E luto ficti. *Qui*] Nempe vulgus.
Libero] Baccho. *Inrig. venas*] Virg. *injatum venas Jaccho*.
Err.] Præ ebrietate errans.

F A B. XIV.

Pares non habitus, sed virtus facit.

C A P E L L Æ & H I R C I.

BArbam capellæ quum impetrassent ab Jove,
 Hirci mœrentes indignari cœperunt,
 Quod dignitatem feminæ æquassent suam.
*Sinite, inquit, illas gloriâ vana frui,
 Et usurpare vestri ornatum muneris :
 Pares dum non sint vestræ fortitudini.*

¶ Hoc argumentum monet ut sustineas tibi
 Habitu esse similes, qui sint virtute impares.

Cæperunt] Secundâ brevi. ita MS. olim *cæperant*. *Digni-
 tatem*] Barbæ dignitatem æqualem haberent. *Vanâ*] Barba
 enim in se nihil dignitatis habet; conjuncta autem cum egre-
 giis animi dotibus reverentiam conciliat. *Ornatum mun.*] Uti ornamento, quod vestro muneri proprium est. Anglice,
Badg of your Office. *Fortitudini*] MS. *fortitudine*. *proxi-
 me* verum. editi. *fortitudinis*. *Esse*] *Eos esse*. *Impares*] *Inferiores*.

FAB.

FAB. XV.

In secundis time, in adversis spera.

GUBERNATOR & NAUTÆ.

QUUM de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratiâ.

¶ Vexatâ sævis navi tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad serenam subitò mutatur dies,
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque nautas hilaritate extollere,
Factus periculo tum gubernator sophus :

G. *Parcè gaudere oportet, & sensim queri :*
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium.

Finxit] Subaud. hanc fabulam. *Quietus legit, finxit hoc solandi &c. i. e. hoc argumentum. Navi vex.]* Huc illuc raptatâ. al. *navis. Inter*] Interea dum illi, qui nave vehabantur, flerent, mortemque timerent, ecce subito dies mutatur &c. *Mutatur d.]* Rittersh. *mutato die.* Schop. *mutat ut d. & Cuperus. Heinsius, ut subito mutatur dies. Ferri]* Hic videtur vim habere compositi, *efferrî* : navis enim jam tuta cœpit *efferrî secundis flatibus*, simulque *nautas ipsos nimiâ hilaritate extollere*. quæ verba sic intellecta sequenti *Amphio* facilem viam muniunt. *Gubern.]* Rector navis. *Periculo]* *Experientiâ.* *Sophus]* Philosophus. subaud. inquit. *Sensim]* Moderatè. *Miscet]* *Checker.*

F A B. XVI.

Nimia verecundia inverecundum facit.

CANUM LEGATI ad JOVEM.

CAnes legatos olim misere ad Jovem,
 Melioris vitæ tempus oratum suæ,
 Ut sese eriperent hominum contumeliis,
 Furfuribus sibi conspersum quòd panem darent,
 Fimoque turpi maximam explerent famem. 5
 Profecti sunt legati non celeri pede,
 Dum naribus scrutantur escam in stercore.
 Citati non respondent : vix tandem invenit
 Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
 Tum verò vultum magni ut viderunt Jovis, 10
 Totam timentes concacarunt regiam.
 Propulsi verò fustibus, vadunt foras :
 Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
 Mirati sibi legatos non revertier,
 Turpe æstimantes aliquid commissum à suis, 15
 Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
 Rumor legatos superiores prodidit :
 Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
 Odore canibus anum, sed multo, replent ;
 Mandata dant ; legati mittuntur : statim 20
 Adeunt : rogantes aditum, continuo impetrant.
 Consedit genitor tum Deorum maximus,
 Quassatque fulmen : tremere cœpere omnia :
 Canes (confusus subitò quòd fuerat fragor)
 Repente odorem mixtum cum merdis cacant. 25
 Reclamant omnes vindicandam injuriam.
 Sic est locutus ante pœnam Jupiter :

Non

Non est legatos regis non dimittere,
 Nec est difficile pœnas culpæ imponere :
 Non veto dimitti, verùm cruciari fame,
 Ne ventrem continere non possint suum :
 Sed hoc feretis pro judicio præmium.
 Illi autem qui miserunt vos tam futiles
 Nunquam carebunt hominis contumeliâ.
 Ita nunc legatos expectant & posteri ;
 Novumque venire qui videt, culum olfacit.

30

Tempus] Corrigit Ursinus. *meliora vitæ tempora oratum.* potuit sanè *ora* in *tempora* excidere ob sequens *ora* in principio *oratum.* *Erip.*] MS. *ariperent.* Gadius. *eriperent.* *Furfur. consp.*] Sordidum, acerosum. *Citati*] Voce Præconis Mercurii. *Turbatos*] Territos, quia negligentes fuissent officii, & citanti Mercurio non respondiissent. *Mirati*] Canes, qui domi manserant. *Adscribi*] Alios Canes adjungi prioribus, utque legatos suffici. *Rumor*] Quia hîc æstuant docti, locum prolixius explicare libet. dum parant novos legatos mittere, interea *Rumor legatos superiores prodidit,* eorumque turpitudinem palàm fecit; quapropter cæteri canes, *timentes nequid simile rursus accidat, anum canibus legationem obituris odore multo replent &c.* *Odore*] *Spices.* *Adeunt*] Schef. *abeunt.* *Canes*] MS. *canis.* antique pro *canes.* *Con.*] MS. *confusi.* unde Gadius, *canes confusi, subito quod fuerat fragor, &c.* Gronov. conjicit, *canes (confusos subitus fecerat fragor).* quæ lectio mirè convenit cum hujus fabulæ stylo. omnia enim abrupta, hiulca, curta. *Omnes*] Divi, qui aderant. *Non est leg.*] Mens hujus loci hæc est. quod legatos modò dimitte-
 tendos non censui, id quidè non jam placet, neque enim *regis est legatos non dimittere, nec tamen ideò difficile est pœnas culpæ imponere:* adeoque *non veto dimitti, verùm cruciari fame volo, ne non possint ventrem continere suum.* *Sed hoc fer.*] Quid hoc sibi velit, non capio. *Futiles*] Ventris incontinentes. *futilis* enim est, qui commissa non retinet.

F A B. XVII.

Malo qui bene facit, pejorem facit.

H O M O & C O L U B R A.

QUI fert malis auxilium, post tempus dolet.
 ¶ Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
 Sinique fovit, contra se ipse misericors.
 Namque ut refecta est necuit hominem protinus.
 Hanc alia quum rogaret causam facinoris;
 Respondit : *Ne quis discat prodesse improbis.*

Post temp.] Brevi post tempore poenitet illum facti, qui malos adjuvat. *Colub.]* Vulgo *colubrum* vocamus. *Contra se]* In suam perniciem. *Ut]* ubi primum. *Refec.]* Recreata, eleganter de paulo ante pene mortuâ. *Necuit]* Salmas. *nocuit.* ex MS. Remensi. cum accusativo autem ab aliis auctoribus usurpari probat. Gadius *necuit* retinendum censet; nam alioqui dixisset Phædrus, *hanc ille* (homo nim. quem nocuerat) *cum rogaret*, nunc autem subjungit, *hanc alia*. quasi homo mortuus fuisset. *Respon.]* Illa rana, quæ malum dederat. *Ne quis]* Feci, respondit rana, ne quis in posterum discat, vel, ut quis discat non &c.

FAB.

F A B. XVIII.

Avarus auri custos, non dominus.

V U L P E S & D R A C O .

VUlpis cubile fodiens, dum terram eruit,
 Agitque plures altiùs cuniculos,
 Pervenit ad Draconis speluncam ultimam,
 Custodiebat qui thesauros abditos.
 Hunc simul aspexit ; *V. Oro ut imprudentiæ* 5
Des primum veniam, deinde si pulchrè vides
Quàm non conveniens aurum sit vitæ meæ,
Respondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est præmium,
Ut careas somno & ævum in tenebris exigas ? 10
 D. Nullum, inquit ille : verùm hoc a summo mihi
 Fove adtributum est. *V. Ergo nec sumis tibi,*
Nec ulli donas quicquam ? D. Sic fati placet.
V. Nolo irascaris, liberè si dixero :
Diis est iratis natus qui est similis tibi. 15
 Abiturus illuc quò priores abierunt,
 Quid mente cæcâ miserum torques spiritum ?
 Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
 Qui thure superos, ipsum te fraudas cibo,
 Qui tristis audis musicum citharæ sonum ; 20
 Quem tibiærum macerat jucunditas ;
 Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt ;
 Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
 Coelum fatigas sordido perjurio ;
 Qui circumcidis omnem impensam funeris,
 Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Altius] Solito. *Cunic.*] *Burrows.* *Imprud.*] Mihi imprudenti, neque enim sciens huc veni, aut te molestandi animo. *Deinde si*] Secundò siquidem rectè vides. *Respond.*] Subaud. oro ut. *Nullum*] Subaud. est præmium. *Dis iratis natus*] Infelix. *bonu under an ill Planet.* *Abit.*] Tu, qui *abiturus* es in eum locum, quo omnes priores &c. *Mente*] Consilio. *Spir.*] Vitam. *Fuc.*] Jucundus tibi arum sonus macilentum reddit, *Cui*] A quo. *Quadrantes*] Minimos nummos. *Agg.*] Modi subjunctivi. ab *aggero*, tertiæ conjugationis. *Sordido*] Ob rem vilem, sordidamque. solent enim avari etiã minimæ pecuniolæ causâ pejerare. *Circumcidis*] *pare off, retrouch.* *Libitina*] Funerum Præses. *Tuo*] Re tuâ, bonis tuis. *Lucrum*] Ritterih. *lucri.*

F A B. XIX.

Inventa perficere non inglorium.

P H Æ D R U S D E F A B U L I S.

Quid judicare cogitet Livor modò,
 Licet dissimulet, pulchrè tamen intelligo.
 Quicquid putabit esse dignum memoriæ,
 Æsopi dicet: si quid minùs adriserit,
 A me contendet fictum quovis pignore.
 Quem volo refelli jam nunc responso meo:
 Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
 Invenit ille, nostra perfecit manus.
 Sed exequamur cœptum propositi ordinem.

Cogitet] MS. *cogitur*, malè. *conetur*. Gadius. quid invidi, me defuncto, judicare de meis scriptis in animo habeant, jam, licet me vivo dissimulent, benè tamen novì. *Æsopi*] *Dicet id esse Æsopi.* *Adris.*] Placuerit. *Contendet*] Fidentèr asseverabit quovis pignore deposito *id fictum esse a me.* *Quem*] Quem Livorem, quos invidos falsi manifestò coargui hoc meo responso volo. *Ineptum*] Nugatorium. *Ille*] Æsopus. ità

in prologo libri primi. *Captum propositi ordinem*] MS. *propositum*. unde Gudius mavult, *capto propositum ordine*. leviori mutatione possit legi *capti propositum ordinem*.

F A B. XX.

Veras divitias eripit nemo.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper divitias habet.
 Simonides, qui scripsit egregium melos,
 Quò paupertatem sustineret faciliùs,
 Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
 Mercede acceptâ laudem victorum canens. 5
 Hoc genere quæstûs postquam locuples factus est,
 Venire in patriam voluit cursu pelagio.
 (Erat autem natus, ut aiunt, in Ceo insulâ)
 Ascendit navem, quam tempestas horrida
 Simul & vetustas medio dissolvit mari. 10
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
 Subsidium vitæ. Quidam curiosior :
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis ?
S. Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
 Quia plures onere degravati perierant. 15
 Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
 Nudos relinquunt. Forte Clazomenæ propè
 Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
 Hic litterarum quidam studio deditus,
 Simonidis qui sæpè versus legerat, 20
 Erátque absentis admirator maximus,
 Sermone ab ipso cognitum, cupidissimè
 Ad se recepit, veste, nummis, familiâ
 Hominem exornavit. Cæteri tabulam suam
 Portant, rogantes victum ; quos casu obvius 25
 Simo-

102 PHÆDRI FABULARUM

Simonides, ut vidit : *Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta, vos quod rapuistis, perit.*

Melos] Carmina lyrica. *Quo pau.*] Ut se in paupertate aleret. *Urbes*] *Cæpit ire circum urbes.* *Accepta*] Hein-
sius legit *paçtâ*, quia patet non accepisse mercedem nisi versu-
bus jam confectis. Sch. *Victo*] Qui in ludis Olympicis vice-
rant. *Pelag. cur.*] Navigando, *by a Voyage.* ut *curfus*
pelagius dicitur, ita *curfus equoreus* passim apud Poetas. *Ve-*
rustas] *cazines.* *Dis*] Propriè de navibus, quia & *contexi*
dicuntur. *Zonas*] *Burses.* *Curios.*] Aliis curiosior in-
quit. *Enat.*] E mari natant. *Extulit*] E nave secum
tulit. *Clazo.*] urbs Ionie maritima. *Cogni.*] *Cupidissime*
recepit ad domum suam Simonidem cognitum ab ipso sermone
solo. *Familiâ*] *Servis. Retinue.* *Tabulam*] *Naufragii*
imaginem in tabulâ depictam. *Portant*] MS. *poriant*, unde
portant. rectè. non *porgunt*, ut Salmasius. *Obvius*] *Malo.*
obvios. *Rap.*] E navi festinanter collegistis.

F A B. XXI.

Magna ne jactes, sed præstes.

M O N S P A R T U R I E N S.

MONS parturibat, gemitus immanes ciens,
Erátque in terris maxima expectatio :
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi
Qui magna quum minaris, extricas nihil.

Partu.] Dolore partus laborabat. *Ciens*] *stretching.*
Imm.] *Ingentes* admodum. *Min.*] *Jactanter* polliceris te
facturum. *Extri.*] *Absolvit*, expedis.

FAB.

F A B. XXII.

Vera gloria fictam obscurat.

FORMICA & MUSCA.

Formica & Musca contendebant acriter,
Quæ pluris esset : Musca sic cœpit prior.

M. Conferre nostris tu potes te laudibus ?

Ubi immolatur, exta prægusto Deum.

Moror inter aras, templa perlustro omnia,

In capite regis sedeo, quum visum est mihi,

Et matronarum casta delibo oscula ;

Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.

Quid horum simile tibi contingit rustica ?

F. Est gloriosus sanè convictus Deum,

Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.

Reges commemoras & matronarum oscula :

Ego granum in hyemem quum studiosè congero,

Te circa murum video pasci stercore :

Aras frequentas, nempe abigeris quò venis :

Nihil laboras, ideo quum opus est nil habes :

Superba jactas tegere quod debet pudor.

Æstate me laceffis ; quum bruma est, files :

Mori contractam quum te cogunt frigora,

Me copiosa recipit incolumem domus.

Satis profectò rettudi superbiam.

¶ Fabella talis hominum discernit notas
 Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
 Et quorum virtus exhibet solidum decus,

Quæ] Utra pluris pretii esset. *Capit*] Loqui. *Tu pot.*] Tune audes comparare te meis meritis & honoribus. *Immol.*] Subaud. ab hominibus. *Trag.*] Prior gusto. *Extra Deum*] Victimarum diis sacrarum. *Oscula*] *Lips.* parva ora, diminuit. ab ore. *Optimis*] Delicatisissimis, lautissimis. *Rust.*] O rustica, quæ rure vivis. *Sed*] *Sed* gloriosus illi qui invitatur, non ei qui diis invisus & exosus est. nota invitatur & invisus; sæpe enim Phædrus sic amat ludere. *Quo*] In quemcunque locum. *Superba*] MS. Pithæanus & Remensis, *super etiam.* insuper etiam jactas. Gadius conjicit, *stupor etiam jactas.* neque enim liberalis, sed stupidi est ingenii, qui talia jactat. *Catull.* *talis iste meus stupor nihil videt, nihil audit.* *Contr.*] *shyvel'd up.* Hemelius, *contactam.* *Copio.*] Omni rerum copiâ instructa. *Talis*] Hæc vel hujusmodi fabella. *Discer.*] distinguishes the Characters.

F A B. XXIII.

Deum colenti stat sua merces.

SIMONIDES à DIIS SERVATUS.

QUANTUM valerent inter homines literæ
 Dixi superius : quantus nunc illic honos
 A superis fit tributus, tradam memoriæ.
 Simonides idem ille, de quo rettuli,
 Victoris laudem cuidam pyctæ ut scriberet
 Certo condixit pretio, secretum petiit :
 Exigua quum frænaret materia impetum,
 Usus poëtæ, ut moris est, licentiâ,
 Atque interposuit gemina Lædæ sidera,
 Auctoritatem similis referens gloriæ.
 Opus adprobavit : sed mercedis tertiam
 Accepit partem. Quum reliquam posceret :
 Illi (inquit) reddent, quorum sunt laudes due.
 Verùm ne iratè dimissum te sentiam,
 Ad cœnam mihi promitte ; cognatos volo

5

10

15

Hodie

Hodie invitare, quorum es in numero mihi.

Fraudatus quamvis & dolens injuriâ,
Ne malè dimissam gratiam corrumpere,
Promisit. Rediit horâ dictâ; recubuit.

Splendebat hilare poculis convivium, 20

Magno apparatu læta resonabat domus;
Repente duo quum juvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,

Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem: 25

Illius interesse nè faciat moram.

Homo perturbatus excitat Simonidem.

Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subito oppressit cæteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30

Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam, mercedis loco.

Quantum] Subaud. valorem vel pretium. *Illis*] Litteris.
Memor.] Posteritati. *Victoris lau.*] Græci feliciter uno verbo
exprimunt, *θῆνικον*. carmen in laudem illius, qui vicerat.
Pyctæ] *πύκτις*. *pyctæ*. pugil victor. *πύκτις* enim Græcorum
latius patet quam Latinorum *Pugil*. utraque vox significat
primo eum qui se pugilatu exercet. deinde Græci eum etiam
πύκτιν vocant, qui pugilatu vicit: quod Latinis *pugil* nunquam
significat; nisi victoriæ notâ additâ. frequens est eo sensu in
veteribus inscriptionibus, *πύκτις*, sic *πύκτις*. ita Gudius recte,
adeoque non audiendi sunt, qui loco *victoris* reponunt *victori*,
ut cum *pyctæ* cohæreat. *Conditis*] *agreed*. *Secre.*] Lo-
cum. *Carmina secessum scribentis & otia quarunt*. Gudius, *De-*
cretum legit. decreta enim fiebant de victoribus, ex illo ergo
decreto Simonides materiam carmini quærebat. *Mat. exig*] *Mat.*
Argumentum angustum, & tenue. *Impetum*] Ingenii poetici.
Poeta] Gudius *poetici* sublato ut. *Moris*] Pendet ab *ingen-*
nium subintellecto. *Gem.*] Lædæ natos, Castorem & Pollu-
cem, geminos. qui in sidera conversi erant: *Auctor.*] A
prisca temporibus ducens repetensque exemplum insignis hmi-
lis gloriæ: ipsi enim fuerunt victores. *Approb.*] Simonides
pyctæ approbavit; opus ita absolutum dedit, ut ipse *Pyctæ* non
habeat.

106 PHÆDRI FABULARUM

haberet, quod improbaret. *Reliquam*] Gudiùs, Heinſius, *reliquum*. quod præſtat. niſi mercedem ſubintelligi mavis. *Laudes*] Gudiùs *laudis duæ*. i. e. laudationis duæ partes. *Nè*] MS. *ut ne*. mens autem loci hæc eſt. ne, ſi minùs promiſeris, cognoſcam te diſcedere a me iratum, age promitte mihi &c. *Quorum*] Ego te inter cognatos meos numero. ità loquitur ex conſuetudine veteri, quã blandientes *patrem* aliquem aut *fratrem* appellabant. *Malè dim.*] Ne dirumperet amicitiam iratè abire juſſam, & aſperius reſuſatam. Gronov. autem legit *ne malè commiſſam gratiam dirump.* ac exponit. *amicitiam tenui filopendentem & vix cohærentem prorsus diſſuerit. male commiſſam*, ut Horat. Ep. 3. *an malè ſarta gratia nequicquam coit, & reſcinditur.* *Diſtã*] Conſtiturã. *Recubuit*] Convivæ enim accumbentes cibum capiebant. *Splend.*] Erat magnificum & ſplendidum. *Hil. poc.*] Factum hilare & lætum liberiori potatione. *Reſon.*] *Rang agatn.* *Diffu.*] Utrinque fluentes. ea enim eſt vis *τῆ di* in compoſitis. *Corpora* autem per ſynecdochen. *quoad corpora.* *Servulo*] Qui tamen ſervulus poſteã vocatur *homo.* *Provocet*] Vocet è triclinio, ſic *promorat*, pro *moverat ex.* *Illius inter.*] Subaud. dicentes, vel adjicientes hoc, nimirum illius intereſſe &c. *Perturb.*] Conſpectu formæ tam auguſtæ. *Exci*] Evocat. *cito* enim idem eſt quod *voco.* *Promorat*] Promoverat *Set out.* *Ut eſt vulg.*] Ubi primùm ſeries rei a me jam narratæ in vulgus manavit. nimirum ut, ab ipſo Simonide evocato ſtatim delapſa eſt camara in cæteros, nec tamen ulli reperti ſunt juvenes ad januam, quos modò viderat ſervulus. *Scier.*] Intellexerunt. pro certo habuerunt. *Num. præſ.*] Caſtoris & Pollucis immediatam providentiam. *Vati*] Poëtæ Simonidæ. *Mercedis*] Quam pugil noluerat ſolvere.

FAB.

F A B. XXV.

Multum auxiliatur qui citò.

EPILOGUS ad EUTYCHUM.

Superfunt mihi quæ scribam, sed parco sciens :
 Primum, esse ne tibi videar molestior,
 Distringit quem multarum rerum varietas :
 Dein si quis eadem fortè conari velit,
 Habere ut possit aliquid operis residui : 5
 Quamvis materiæ tanta abundet copia,
 Labori faber ut desit, non fabro labor.
 Brevitatis nostræ præmium ut reddas peto,
 Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem :
 Nam vita morti propior est quotidie : 10
 Et hoc minus tui veniet ad me muneris,
 Quò plus consumet temporis dilatio.
 Si citò rem perages, usus fiet longior :
 Fruar diutiùs, si celeriùs cepero.
 Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquæ, 15
 Auxilio locus est : olim Senio debilem
 Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
 Quum jam defierit esse beneficio utilis,
 Et mors vicina flagitabit debitum.
 Stultum admovere tibi preces sexcenties, 20
 Proclivis ultrò quum sit misericordia.
 Sæpe impetravit veniam confessus reus,
 Quantò innocenti justius debet dari ?
 Tuæ sunt partes, fuerunt aliorum priùs,
 Dein simili gyro venient aliorum vices. 25
 Decerne quod religio, quod patitur fides,
 Et gratulari me fac iudicio tuo.
 Excedit animus quem proposuit terminum :

Sed difficulter continetur spiritus,
 Integritatis qui sinceræ conscius
 A noxiorum premitur insolentiis. 30
 Qui sint requires : apparebunt tempore.
 Ego quondam legi quam puer sententiam,
 Palam mutire plebeio periculum est,
 Dum sanitas constabit, pulchrè meminero.

Supers.] Adhuc sunt mihi ea, quæ possim scribere, sed certo consilio parco scribere. *Dist.*] Undequaque constrictum tenet. *Residui*] Relicti. *Mat.*] V. C. Pithæ. *natura.* *Labori Fab.*] Ut potius artifex deficiat. opus, quam opus deficiat artificem. *Brevit.*] *Brevitati.* Salmaf. *Exh.*] Præsta ipso opere ; fidem verbis obligatam dudum re comproba. *Minus tui*] Ad fulciendum versum, *tui* inferendum monuit Faber. vocem *usu* excidisse purat Gudius, a duabus ultimis litteris *tū minus* & primâ *tū* *veniet* absorptam. *Quo plus*] Sc. muneris. alii, *temporis.* quod præstat. expende modo sequentia, patebit. *Cep.*] Accepero. al. *cæpero*, i. e. *frui cæpero.* *Olim*] *Hereafter.* *Debil.*] Phædrum. *Beneficio utilis*] Uterq; MS. Remens. & Pith. *beneficio utilius.* scribe, *beneficio utilis*, i. e. cum jam Phædrus senio debilis beneficio tuo uti frui non amplius possit. Gud. *Debitum*] Morri enim omnes debemur. *Stultum*] Subaud. *est.* *Sexcen.*] Itâ scripsi ex Gudii conjecturâ, cui codices MS. mirè favebant. sic enim Remensis : *Precessexes.* nec longe Pithæanus : *Precessexis.* unde Pithæus *preces existima.* natum autem illud monstrum *sexis ex* compendio scribendi *SEXC.* sive *SEXIS.* utroque enim modo in vetustissimis membranis *SEXCENTIES* reperitur scriptum. *Sexcenties* autem pro *pluries* etiam pueris notum est. Gudius. *Confessus*] Suam culpam confessus. neq; enim passivè sumitur pro *manifestus.* sic enim nullum conficeret sensum. *Reus* enim nullibi invenitur apud bonos authores pro *consciis, nocens* : tantum denotat *eum, qui accusatur,* conscius sit necne. *Debet*] *Venia.* *Tuæ sunt &c.*] Cod. MS. *tuæ sunt partes, fuerunt aliorum, dein simili gyro, &c.* adeoque eam lectionem cum Gudio prætulî. *partes* autem locutio est petita a Scenicis, quorum cuique suæ sunt partes datæ. at quodnam erat Eurychi officium ? ut innocentem protegeret, Phædroque noxiorum insolentis, oppresso maturè succurreret. *Vices*] Me sublevandi. *Decerne*] Fer eam sententiam, quam salvo juramento boni judicis, & salvâ fide boni viri ferre potes. *Gratul. me fac*] MS. *gratulari me tatate.* hinc Gudius, & *gratari me patere.*

tere. Heinſius, *me gratulari patere.* Pithæus ex conjecturâ edit *fac.* mens autem hæc eſt. *fac* me gaudere & mihi ipſi gratulari ob tam faventem tuam in meâ cauſâ ſententiam. Scheſtamen, ut verum dicam, neutra lectio placet. *Fac* a codicibus longiùs abeſt ; *patere* diſplicet ob præcedens *patitur.* conjeci, *ut gratuler me ſtare iudicio tuo.* i. e. ut mihi gratuler me tuo iudicio ſtare & innocentem eſſe. *Excedit*] Cedit extra terminum, quem ſibi propoſuit. *Contin.*] Cohibetur, & intra fines debitos tenetur. *Spir.*] Animus. *Sincera*] Mallem ſcribere *ſincere,* ac ad *conſcius* referre, ut ſit verè conſcius. Sch. Heinſius, *ſibi veræ.* at quorſum hæc mutatio? *fac* enim iſtud *ſincera* eſſe ſupervacuum, quod tamen non eſt, nonne $\omega\lambda\epsilon\upsilon\alpha\sigma\mu\omega\nu$ omnia ſunt plena: porrò autem, eſt & fucata integritas, ut fucata virtus, & ficta pietas. *Noxi.*] *Diſchirevous.* *Qui ſunt*] Iſti noxii. *Ego quam*] Ordo verborum. *ego, dum ſanitas mentis mihi conſtabit,* i. e. dum ſanâ mente ero præditus, *pulchre meminero ſententiam* illam, *quam puer quondam legi* apud Ennium. *Palam mut.*] Apertè murmurare in homine plebeio & paupere piaculum eſt, res eſt quæ expiatione egeat. *Pericul.*] Melius *piaculum,* iſtud enim eſt Ennium.

PROLOGUS ad PARTICULONEM.

QUum destinassem terminum operi statuere,
 In hoc, ut aliis esset materiæ satis,
 Consilium tacito corde damnavi *meum*.
 Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,
 Quo pacto divinabit quidnam omiserim, 5
 Ut illud ipsum cupiam famæ tradere :
 Sua cuique quum sit animi cogitatio,
 Colorque privus. Ergo non levitas mihi,
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.
 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
 Quas Æsopeas non Æsopi nomino,
 (Quasi paucas ille ostendit, ego plures dissero,
 Usus vetusto genere, sed rebus novis.)
 Quartum libellum dum vacive perleges,
 Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.
 Mihi parva laus est, quod tu, quod similes tui
 Vestras in chartas verba transfertis mea,
 Dignumque longâ judicatis memoriâ.
 Inlitterarum plausum ne desidero. 20

Destin.] In Epilogo proximè præmissio. *Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens.* *Statu.]* Reposui hanc vocem pro *habere* ex conjecturâ Gronovii, Gudii, &c. quia alioquin metrum claudicat. *In hoc]* In hunc finem, eâ de causâ. *Tacito cor.]* Ipse mecum damnavi. *Meum]* MS. codex hîc loci in hoc & sequenti versu mutilus erat. Rittershusius restituit *meum*, sensu suadente. *Nam si quis]* Cod. MS. hunc locum sic exhibet. NANSIQUISTALISETIAMESTUDILI hinc Gudius (cæterorum enim conjecturas, *tituli artifex, avidus est, & appetens, nihili esse censeo*) coniecit legendum, *nam si quis talis etiam est studii diligens. studi pro studii; di autem*

tem in *dili* a priore *di* absorptum. Vera itaque lectio STUDI. DILIGENS. quatuor postremis literis, ut dixi, fato simili cum superioris versiculi ultimis, deperditis. quantumvis hoc arrideat, tamen nolo lectorem & amici mei conjecturâ fraudare, quæ ad MS. libri literas, quæ quidem relictæ sunt, propius accedit. Nam si quis talis etiam est studioli amans. amans excidit, ut in versu priore meum. *m* in etiam non eliditur. *studili* autem & *studioli* quantum a se invicem discrepant? sed locum hunc, quia paulò obscurior, fufius explicare libet. sic igitur Phædrus. repudiavi consilium, quod prius intenderam, neq; id injuriâ. nam finge fore ut quispiam alius talis studioli, quale meum est, sit amans: finge quoque me vehementer velle ut ipse illud quod omiserim famæ traderet, *i. e.* literis mandaret: quo pacto tamen divinare poterit quid dictum, quidve indictum voluerim? quandoquidem sua cuique sit animi cogitatio, colorq; privus & peculiaris. fieri igitur potest ut ipse, (quantumvis parcam plura scribere, eo fine ut aliquid habeat operis residui) ne cogitet quidem de eo quod omiserim. *Privus*] MS. *prior*. unde Faber *privus*. nesciebant enim exscriptores quid esset *color privus*, ideoque *prius* reposuerunt. alii autem, qui sibi doctiores visi sunt, illos correxerunt, & structuræ saltem rationem habendam existimantes, rescripserunt, *colorque prior*. *color* autem *privus* est agendi ratio. *διάνοια* peculiaris & privata. Vid. Senec. Epist. 52. Freinshemius *calor* præponit, *calor* nimirum ille poeticus. alii, loco *prius*, *proprius* substituunt, neque hoc male, nihil tamen ad Fabri correctionem. doctius enim verbum ansam indoctis errandi dedit. *Levi*] Animi inconstantia. *Caperis*] Delectaris. *Æsopias*] *Æsopias*, malè. tertia enim *τῷ* *Æsopias* syllaba brevis est. alterius autem longa; ab *Αἰσώπειος* *Æsopéus*, ut a *πλατεία* *plátæa*; & sexcenta hujusmodi. *Quasi*.] Hos duos versus parenthesi includendos curavi; ita enim res postulat. *quasi* autem natum est ex præcedentis versiculi capite, ut rectè Gudius; qui versum quoque sic refingit, ne claudicet. *paucas ostendit ille, ego &c.* quâ tamen transpositione nihil opus est, versus enim bene se habet, nullâque ex parte laborat. *Paucas | ille os | tendit e | go plu | res dis | sero | Ostend.*] Invenit. *Genere*] Scribendi. *Æsopi genus*. supra. *Quartum*] Quem modò finierat. *Vacive*] MS. *variè*. nullo sensu, utcunque Gudius, *ut fosclos apicula libans, latè & variè perleges*, explicari posse censet. *vacivè*, vacuus a negotiis. supra. *vaces oportet, Eutyche, a negotiis.* *Malignit.*] Pro *maligni*. sic *livor*. *si livor obtrectare curam, &c.* *Inliter.*] Olim, in literarum, quod natum est manifestò, ex vetere scribendi modo *τῷ* *inliteratum* pro eo quod nunc est illiteratum. hic primus error auctor fuit pejoribus. corruptâ enim jam & divisâ voce *inliteratum*, loci quoque nova facta est sententia,

112 PHÆDRI FABULARUM

& ab Auctoris mente alienissima. Ne itaque convertendum erat in *ire*, tum verò Phædrum ipsum agnoscimus: at nihil nequius. perpende modò vim emphaticam vocis *tu & similes tui*, seriem orationis, Phædri animum doctorum laudes ambientem, illiteratorum plausum ne quidè desiderantem, nihil certius invenies. quin & *desidero* non idem est quod *cupio*, sed *egeo*, *abesse* queror. ¶ want.

FAB. I.

Nihil ad honorem famâ ingenii aptius.

DEMETRIUS & MENANDER.

Æ Sopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi jampridem, quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia :
Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo 5
Si marmori adscripserunt Praxitelem sue,
Detrito Myronem argento: fabulæ exaudiant
Adeò fugatæ. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quàm bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror. 10
¶ Demetrius, qui dictus est Phaleræus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim & certatim ruunt :
Feliciter, subclamant ; ipsi principes
Illam osculantur, quâ sunt oppressi manum, 15
Tacitè gementes tristem fortunæ vicem.
Quin etiam resides & sequentes otium,
Ne defuisse noceat, reptant ultimi ;
In queis Menander, nobilis comœdiis,
(Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 20
Et admiratus fuerat ingenium viri ;
Unguento delibutus, vestitu adfluens,

Ve-

Veniebat gressu delicato & languido.

Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine :

Effæminatus quid hic in conspectu meo

25

Audet venire? responderunt proximi :

Hic est Menander scriptor : inutatus statim,

Compellat hominem blandè, dextramque arripit.

